№ A
1 - 352

1
3-111

Del Colegio de la Comp. de Ihs de Granada

B.1563

# LEMMATA NOVO-ANTIQVA PANCARPIA,

Ex Natura, Hiſtoria, Moribus,

*In gratiam ſtudioſæ Iuuentutis tetraſtichis illigata.*

Cum Indice titulorum, in quos digeſta ſunt.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

IPRIS FLANDRORVM,
Apud FRANCISCVM BELLETTVM,
cIↃ. IↃC. XIV.

*Superiorum permiſſu.*

1
3-111
35/2

Del Colegio de la Compª. de Jhs de Granada

# LEMMATA NOVO-ANTIQVA PANCARPIA,

Ex Natura, Hiſtoria, Moribus,

*In gratiam ſtudioſæ Iuuentutis tetraſtichis illigata.*

Cum Indice titulorum, in quos digeſta ſunt.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA
B.1563

IPRIS FLANDRORVM,
Apud FRANCISCVM BELLETTVM,
CIↃ. IↃC. XIV.

*Superiorum permiſſu.*

## TYPOGRAPHVS
*candido Lectori.*

CVm ab amico quodam meo Flandro, viro quàm ingenioſo, tam variè docto, aduerſaria, ſiue tumultuarias quaſdam ſchedas multis precibus extorſiſſem, in quas ea conjecerat, quæ iuuenis olim ſibi Muſiſque præluſerat; putaui operæpretium fore, ſi pauca de plurimis publici iuris facerem, authore id ea conditione tantum non prohibente, ſi nomen eius operi non præfigerē. Idem tamen, ſi quando à grauioribus occupationibus pluſculum otij nactus fuerit, tibiq́ue non ingratum intellexerit, dabit ope-

ram, vt hæc & alia, cùm limatiora, tum notis, ſicubi res poſtulabit, illuſtriora, lucem aſpiciant His interim fruere, laborē noſtrum in ijs colligendis boni conſule, & ſi quæ, vt fit, errata irrepſerint, non tam negligentiæ Typographicæ, quàm minus nitidè deſcripto autographo, abſentiæq́ue authoris, pro tuo candore adſcribe.

## CENSVRA.

LEmmata hæc cùm nihil fidei Catholicæ aut bonis moribus contrarium habeant, immò multarum rerum naturam & diuerſam hiſtoriam breui compendio phraſiſq; varietate referant, tutò & cum magno lectoris cùm fructu tum animi oblectatione imprimentur. Ipris 10. Decemb. 1613.

PHILIPPVS SAVATIVS
*S. Theol. Licent. & apud Iprenſ. D. Martini Canonic. & Paſtor.*

# Errata ſic corrigito.

Nota. P*Rior numerus paginam, ſecundus epigramma deſignat; illius autem paginæ cenſebitur epigramma in qua ipſius erit titulus. Nota autem numerum ſui epigrammatis ſequentur.*

45.4.*vomit.* 56.2.*nitidasq; diu trahe.* 80.5.*vita.* 83.6.*iſtinc.* 93.2.*promus.* 94.5.*viſu.* 95.3.Πειθώ. 116.1.*reticulo è roſa.* 152.1.*Numina.* 155.4.*putidulis.* 159.4.*Simoïs.* 170.5.*ſidereo.* 173.2.*ſinum.* 174.5.*immenſum.* 175.4.*Herceo.* 178.5 *Mars an.* 190.6.*nimium.* 205.5.*num tibi.* 220.1.*Exſtruis,* 226.5.*fingis.* 235.1.*Lethes. ibid.*3.*hoccine.* 247.3.*funus.* 248.2.*arma.* 249.2.*ligat.* 254.4.Harmonies. 260.3.*Æſtus.* 270.4.*necet,* 285.4.*combibo.* 290.4. Chiragricus *infra* Chiragricum. 295.4. coloris varietatem. 296.1.*feſtina.* 298.5.*ligno.* 310.4.*ignis ibid.* 5. *crabronem.* 327.2. *vrſa. ibid.* 3. *temperet.* 333.4.*oberret.* 334.4.*Enthea.* 338.1.*tota nihil?*

# INDEX TITVLORVM

*In quos hæc Lemmata digeſta ſunt.*


AMPHITHEATRVM NATVRAE in quatuordecim gradus diſtinctum.

Cælum fol. 1. Ignis 2. Aer ibidem. Aues 4. Aqua 8. Piſces 11. Metalla 15. Gemmæ 17. Arbores 18. Segetes 23. Herbæ 25. Flores 27. Quadrupedes 29. Inſecta 33.

THEATRVM ORBIS in octo gradus diuiſum. 36.

Regiones 36. Inſulæ & Montes 41. Lacus & Fontes 46. Flumina 54. Roma 61. Vrbes & Buſta vrbium 66. Africa 75. Europa 77.

HORTVS ADONIDIS ſectus in tres Areolas 80.

Hominis vita 80. Corpus 82. Mors 83.

PORTICVS In tria intercolumnia diſtincta 87.

Natiuæ imagines 87. Imagines pictæ 89. Imagines ſculptæ 92.

ARTIFICALIA 97.

BIBLIOTHECA ſexpartita 102.

Philoſophi 102. Mathematici, Medici, Pictores 104. Oratores 105. Iuriſconſulti 108. Poëtæ ibid. Doctæ mulieres 111.

REGIA, in qua ſolia quaterna. 112.

Primum Imperatores vſque ad Conſtantinum 112. Secundum Imperatores a Conſtantino vſque ad Carolum Magnum 121. Tertium Imperatores a Carolo Magno vſque ad Fredericum tertium 127. Quartum in quo Reges 131.

CLYPEVS, in eo duo Limbi 132.

Primus Heroes 132. Secundus Heroinæ 137.

ROTA FORTVNAE duplex.

Prima. Tyranni 138. Secunda. Potentes Aulici 139.

ORCVS, DII. 140.

Plutonis ſolium. Dij Magni 140. Origo deorum 141.

SCABELLVM, Dij patellarij 143.

THALAMVS, Deæ. 146.

PHLEGETHON. 149.

Sacrificia. 149. Ritus 152.

ORPHEVS, fabulæ. 157.

FIGLINA, HOMO, in quo Teſtę tres. 161.

Teſta prima, Natiuitas 161. Teſta ſecunda, Vita 162. Teſta tertia, Mors 165.

SEPVLCRETVM, in quo Cippi ſeptem. 171.

Cippus primus, Pueri 171. Cippus ſecundus, Coniuges 172. Cippus tertius, Imperatores 173. Cippus quartus, Reges 178. Cippus quin-

quintus, Heroes 180. Cippus ſextus, Varia 182. Cippus ſeptimus, Conſolationes 186.

NVNDINAE, Mundus, In quinque dies 189.

Dies primus, rerum Vanitas 189. Dies ſecundus, Honor 194. Dies tertius, Diuitiæ 197. Dies quartus, Luxus 199. Dies quintus, Delitiæ 104.

HORTVS ALCINOI In octo ſeries diuiſus. 208.

Series prima, Vitium 208. Series ſecunda, Ambitio 209. Series tertia, Inuidia. Series quarta, Ira 211. Series quinta, Auaritia 212. Series ſexta, Ebrietas 214. Series ſextima, Luxuria 216. Series octaua, Varia 218.

MOMVS, Vitioſi. 219.

PANDORA, In quatuor dolia repartita. Vitiorum exempla. 227.

Dolium primum, Ambitio 227. Dolium ſecundum, Ira 229. Dolium tertium, Auaritia & Libido 233. Dolium quartum, Luxus 236.

NEMESIS, Vindictę. 238.

PALLADIS PEPLVS, Virtutes. 249.

CORNVCOPIA, Virtutum ſpecimen. 254.

SPHYNX, Quęſtiones. 257.

SPECVLVM, Vita. 262.

AVLAEVM, Mundus. 265.

TA-

TAPES BELVATVS Vitia, 271.
TAPES AMOENVS Virtutes, 273.
CERTAMINA, 276.
LITES, 280.
VITIS, 281.
PROBLEMATA.
Naturalia 292. De Homine 307. De Artificijs 311. De Moribus 312. De Dijs 314.
MVNDVS INVERSVS 314.
PARADOXA 317.
PALINODIAE 323.
DILEMMATA 325.
CONSILIA 327.
OMINA 331.
VATICINIA 332.
VOTA 333.
DIRAE 334.
QVERELAE 337.
AENIGMATA 349.
GRYPHI 351.

*FINIS.*

# AMPHITHEATRVM NATVRÆ In XIIII. Gradus diſtinctum.

## COELVM.

### Sol & Lvna,

*SOl torret vapidos flammis fumantibus agros,*
*Cynthiæ rorantis temperat orbe ſolum.*
*Iuſtius an quicquã? lacrymas ſoror vndat, anhelo*
*Vnde die auricomos frater aquatur equos.*

### Lvna.

*Par Proteo incerta transformis imagine ludit*
*Cynthia, & ancipiti ſtatq; caditq; globo.*
*Nunc radians, nunc cæca, cauo redit vnca, vel amplo*
*Plena globo. hoc vnum quis putet eſſe iubar?*

### Dies & Nox.

*Sors æquæua tenet fratrem, & ſine fratre ſororem,*
*Ambo pari cenſu; cenſus vtrumque fugit.*
*Mille oculos gerit illa, Cyclops hic errat. at vno*
*Plus oculo hic cernit; luſcus an Argus erit?*

### Nox illvstris.

*Celibe Luna micans oculo pernoctat in vmbra;*
*Ire putes ſolem, mille ſed aſtra micant.*
*Quod potuit dat mille faces argentea lampas,*
*Panè diem mendax nox ſine nocte facit.*

### Nox serena.

*Irradiat aureis tranquilla per æquora tædis,*
*Et ſtellat vitreis aſtrifer orbis aquis.*

*An cœlum in pelagus deſcendit? an arte Promethei*
*Nereus ingenuo ſurripit aſtra dolo?*

## Vmbra loquitur.

*Ludo tibi Mimum, ſcenam ſi quæris, vbiuis*
*Cæca comes* Κῶφον *muta* Πρόσωπον *ago;*
*Et miris te ſallo modis. quam quolibet aruo*
*Stare vel ire putes, dum fugit vmbra, iacet.*

---

## IGNIS.

*Quidlibet excudens, quosuis emolior auſus*
*Arte fabra, mundo Dædalus alter ago.*
*Alter ego & cæca ſole mico noctis, & alter*
*Fors oculis oculus ſtabo, vel ibo tuis.*

---

## AER.

### BOREAS.

*Alite quidquid equo tango, vro & duro; natantes*
*Præcipuè campos Naiadumq; domos,*
*Et magnam Matrem glacialibus aſpero ſaxis.*
*Cede mihi Perſeu, Gorgona ſaxificam.*

### IRIS.

*Picta triumphalem ſol nubila lunat in arcum,*
*Igneaq; vrendis tela minatur agris.*
*Anxia terra tremis? ride; quæ ſaucia aprico*
*Sole ſitis, arcum Solis & arma bibes.*

### Viriditas in Iride.

*Quis viror ille, cauo qui ver mentitur in arcu?*
*Herbida num cælo paſcua & arua virent?*

*Nuſquam hic prata virent, prato ſed concolor imber,*
*Qui ſiet hoc herbæ, læta quod herba boui eſt.*

## GRANDO.

*Saxa hiememq́ue ferens inuertit Aquarius vrnam*
*Saxea grando ruit, quæ prius humor erat.*
*Sic qui fuſor aquæ eſt, duris it funditor armis.*
*Pro petaſo, his galeam quære viator aquis.*

## DILVVIVM.

*Defrænata ruunt torrenti flumina nimbo,*
*Nubigenoq́ue natant naufraga prata mari.*
*Aëris iſta fides? tellus quos ſperet amores;*
*Si coniux pluuij coniugis arte perit.*

## FVLGVR NOCTVRNVM.

*Nox ſilet in nimbo, rimatur itura rubentem*
*Flama globum, clarant nubila cæca faces.*
*Et nox hæc ſurdis ſine ſole ſepulta tenebris,*
*Lux cui momento mille dat vna dies?*

## ECHO.

*Pauca loqui volui quæ neſcio. Mima iocoſum*
*Mecum agitans ludum, terq́ue, quaterq́ue canit.*
*Iamq́ue ſono, tradux ſonus errat in auia. fit vox*
*Vna loquax, populus; vocis an aura parit?*

---

# AVES.

## AQVILA AD IOVEM.

*Leno vale, diuûm ille ſcelus, nunc ignea Phœbi*
*Sceptra ſequar; natis cenſor hic ille meis.*

*Plus mihi dat Phœbus quam Iupiter; ille miniſtrum*
*Fulminis; alituum me facit ille ducem.*
Explorat ad ſolem genuinos pullos.

## PHOENIX.

*Cinnameo buſto Phœbi ſe funerat ales,*
*Vitali vt ſurgat ipſe, nec ipſe rogo.*
*Par & ſors palmæ. Phœnicis an arbor imago?*
*Arboris an Phœnix vult mage fata ſequi?*
Palma cæſa pullulat, vti Phœnix pyra odorata reſurgit: vnde forte & par vtrique apud Græcos nomen.

## CICONIA.

*Fœdera pacta thoro quis neſcio rupit adulter,*
*Et caſtam inceſtus leno fefellit auem.*
*Haud impunè nocens, ſcelus vlta Ciconia lèto eſt;*
*Cui pia progenies, vult pia & eſſe parens.*
Ciconiæ adulteram ciconiam domum redeuntem diſcerpunt. *Guill. pariſ.*

## CICONIA PIETATI-CVLTRIX.

*Pondus iners, trepidis præpes labat anxius alis;*
*Subuehet inueſtem plumea neptis auum.*
*Si Pietas tranſſcripſit ebur decus orbis * alumno,*
*Sit pia plus omni Cæſare Cæſar auus.*
* Antonino Pio.

## PSITTACVS.

*Virgato virides en auro accendo ſmaragdos,*
*Adde roſam, & flammas adde pyrope tuas.*
*Et quis non picturatis flos ſtellat in alis?*
*I nunc triſtis hiems, ver mihi iuge viret.*

CYGNI

## CYGNI CANTVS.

*Naïadum è gremio cygnæas parca querelas*
*Aure bibit, muto dum ſilet aura lacu.*
*Ambigo, ait, ſtricto iam cygni in guttura ferro,*
*Viua lyræ, an vitæ fila canora ſecem?*

Negat Nazianzeni interpres; aliqui tamen aiunt ſe audiuiſſe ante mortem canentem.

## CANTVS IN FLVVIO.

*Quà liquidi reſonis crepitant in vallibus amnes,*
*Argutis animat colla canora modis;*
*Vocalemq́; animam aſpirat, modulosq́; loquaci*
*Cygnus aquæ; an fluuijs organa hydraula facit?*

## HALCYON.

*Nauta ſeca remo, penna vt ſeco remige fluctus;*
*Dum ſedet implumis ſpes Tethidis gremio.*
*Neu metue hibernos pelagive Notive furores,*
*Iam freni it patiens tutior vnda ſolo.*

Fœtificat bruma, qui dies Halcyonides vocantur, placido mari per eos & nauigabili. *Plin.* 10. *c.* 32.

## ANAS ORCADICVS.

*Naïadũ vitreum ad thalamũ tumet arbor alumno*
*De ramo. expectas poma? natabit anas.*
*It flos de concha, de flore natatile pomum,*
*In pomo hoc comedet neſcius hoſpes auem.*

Trabi iactatæ fluctibus agnaſcuntur conchulæ, vnde pullulant anates apud Orcades, *Hector Boethius.*

## LVSCINIA.

*Dum caneres viridi nec dum mihi viſa theatro,*
*Quid grande es dixi, vox cui tanta ſonat?*



BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE

*Stultus ego vt vidi, cœpi neſcire quid eſſes,*
*Vox tota & viuens es lyra; deinde nihil.*

## PICA.

*Suaue cano, ſyluis reparabilis accinit echo;*
*Accinit & mimos garrula pica modos.*
*Si ſic vocales animant aura aſpera ſaxa,*
*Quid prohibet molli ſi fluat ore ſonus?*

## ANSER.

*Qui vox totus aquis, & lingua loquacibus vndis,*
*Anſer, Naiadum garrula nola ſonat.*
*Quin nec morte ſilet; loquitur nunc omnia penna.*
*I nunc, & mortem dic ſine voce nihil.*
E penna anſeris fit calamus ſcriptorius.

## PAVO.

*Textile de pluma viridi ver ſtellat in auro,*
*Sapphiroq; ardet purpura nupta ſuo.*
*Quid loquar? an pictis tun' pauo monile lapillis?*
*An prati è violis plumea imago vires?*

## AD PAVVM.

*Addubito, gemmas Argi, an mage mirer ocellos?*
*An ver pennarum diſcolor, anne roſam?*
*An mage tot ſtellas? potius mirabor Eoi*
*Ad radios irim, quam ſine nube facis.*

## GALLVS.

*Occiduis iam Phœbus equis abnoctat ad Indos*
*Exſul, & extinctum nox premit atra diem.*
*Sic tamen exploro ſol quas agit auius horas;*
*Lynceus an ſolem ſpecto apud Antipodas?*

## GALLI QVERELA.

*Aſtra noto, & ſurdas ebuccino peruigil horas*
*Cui trabea ex auro, purpura viua caput.*

*Et me claudis barâ ſus ruſtice, degere in aula.*
*Debueram. neſcis? Rex ego & Aſtrologus.*

## CORVVS VEL AQVILA.

*Cornigeros agitat populos niger hoſtis, & aſpro*
*Vngue premens, profugos penniger vrget eques,*
*Præcipitesq́ rapit, roſtroq́ euiſcerat vnco.*
*O mors! vis ceruo parcere? mitte canes.*

Multum puluerem, volutatu collectum, inſidens cornibus excutit in oculos, pennis ora verberans, donec præcipitet in rupes. *Plin.*10. *c.*4.

## TAVRVS AVIS.

*Si totum adſpicias, credes ſine corpore corpus:*
*Mugitum audieris, dixeris eſſe bouem.*
*Et tantilla feras immanes territat ales?*
*Dic aquilam roſtro, cætera ſturnus agit.*

Eſt auis quæ boum mugitus imitatur in Arelatenſi agro, Taurus appellata, alioquin parua. *Plin.*2.*cap.*2.

## AVIS INDICA NASO.

*Si roſtrum adſpicias, volucrum naſutum elephanta*
*Pæne putes, naſo cornua tanta tument,*
*Et vox tanta tonat. toto an pars corpore maior?*
*Hui monſtrum! tubicen iam minor ipſa tuba eſt.*

Acoſta *hiſt. natur. India.*

## AVICVLA PAR MVSCAE.

*Tange licet teretes pennas; teres; inſpice roſtrum,*
*Et dices, auis eſt, quam modo rebar apem.*
*Emigra ad Antipodas textricula neptis Arachnes,*
*Pro muſca hic capies, aucupis inſtar, auem.*

Veſtita plumulis. *Acoſta nat. hiſt.*

# AQVA.

## MARE.

*Monte procul dego, & vidui iuga pinea montis*
*Sæpe veho, infido ſæpe recondo ſinu.*
*Fluxa fides ponto; nil mitius æquore credas,*
*At nuſquam (o fraudes) ſæuior ira tumet.*

## MARE PACIFICVM.

*Hic præceps nil auſit hiems, poſuere furorem*
*Æolus, & molli quæ ſedet vnda vado.*
*Effera ſat terris ſæuos agit India fluctus:*
*Cur etiam aduoluat turbida bella mari?*

## MARE VIRIDE.

*Metibar volucri remo maris æquor: arantem*
*Fluxa ſali herboſo detinet alga freto.*
*Inſpexi. pictis ver diſcolor innatat vndis*
*Pro ponto an viridi puppis oberrat agro?*

## ELVVIES.

*Abrupto victor furit & ruit aggere Nereus,*
*Gramineoq; rotat cerula plauſtra ſolo.*
*Heu! mare nunc tellus. rerum ſi vertitur ordo;*
*Verte & cura globum, nauta colonus erit.*

## MARE VRBES SVBRVENS.

*Statq; fugitq; ſolum torrens vndante ſepulcro,*
*Et mare nunc ſtagnat, quà maris acta ſtetit.*
*Quàm velox in damna dies! tot euntibus annis*
*Quod vix ſecla ſtruunt, nox ruit vna freto.*

## SCYLLA.

*Nũc vorat alta breues, nũc Scylla regurgitat vndas,*
*Nunc ferit aſtra, nigro nunc ſedet hauſta erebo.*

*Ipſa*

*Ipſa ſuo Tethis ſi regno it naufraga, & vndam*
*Vnda vorat; poterit parcere amica rati?*

## CHARYBDIS.

*Vndat inacceſſis alterna Charybdis arenis,*
*Nunc freta verſa ſolo, nunc ſola verſa freto:*
*Hic vbinam portus? torrente fugacius Euro*
*Si natat inſido litus vt vnda mari?*

## SYRTIS.

*Nunc retegit, dubias nunc obruit æſtus arenas.*
*Nunc mare, nunc rapto terra ſtat vda mari,*
*Et ratis in Syrtes it pleno concita velo?*
*Nauigat hinc terras, ambulat inde fretum.*

## SPVMA.

*Si triſido Triton muta aſperat æquora telo,*
*Et freta tranſuerſis turbo volutat aquis;*
*Spumoſis exulto vadis, gelidasq; volutim*
*Ferueo agens bullas; dic mihi, an ardor hiems?*

## ARVNDO.

*Tange licet, fragili crepitat ſeges arida culmo,*
*Quam Nais liquido paſcit aquoſa ſinu.*
*Quid mihi cum lymphis, cui ſiccior igne medulla;*
*Et cum ſim mergi neſcia, mergor aquis.*

## MARE BIBIT FONTES.

*Exſudant tenues terræ per inania rores;*
*Vt Nereus lacrymis imbuit arua ſuis;*
*Vnde fluant auido mare quos bibat æquore fontes.*
*Cur vndam vnda ſitit? nonne ſalina ſalum?*

## RIVVS IN HERBA ad Flumen.

*Curre, nec obnixæ metuas luctamina cautis;*
*Quæ tibi dant naſci, dant quoq; ſaxa viam.*
*Quem ſua non teneat rupes, tenet herbida molli*
*Terra thoro. an duris fortior herba petris?*
Fontes rupibus pullulant.

## RIVVS FLEXVOSVS.

*Ludit inexplicitosq; volubilis errat in orbes,*
*Saxa per, & pictum roſcida prata nemus,*
*Riuus, inexplicitosq; recurrit & errat in orbes.*
*An ſtruit incriſpus fons labirynthon aquis?*

## FONS IN MARE DEFLVVS.

*Mille legit relegitq; vias pede lympha fugaci*
*Et labirynthæo tramite fallit iter.*
*Sylua bibit, bibit herba. ſed hæc breue munus. amaras*
*It fons in lacrimas, mors cui nata mari.*

## ELVVIES FLVMINIS.

*Abruptis vagus amnis agros inſultat habenis.*
*Merſa Ceres, cyano gramina merſa vado.*
*O cœlum! ô tellus! campi ſi flumina, & omnis*
*Ah, ſeges vnda! ſiti verte colone famem.*

## NAVFRAGIVM.

*Vela cadunt, crepitant remi, ſonat icta procellis,*
*Et gemit irato ſaucia prora ſalo.*
*Nec longum, iam plena mari cadit ebria ponto.*
*Fit mare iam nauis? nauigat vnda ratem.*

## NAVIGATIO.

*Veliuolas pelagi per cærula currere ſyluas,*
*Quaq; fuga eſt liquidum radere mortis iter,*

Vt

*Vt vidi, ingemui; ſic ſic iuuat ire ſepulcro?*
*Non ſatis in tumulum pulueris orbis habet?*

## NAVTA AD NEPTVNVM.

*Si nullus liquido ſtat limes & orbita campo;*
*Dic mihi, non ſectas quæ via ſignet aquas?*

## NEPTVNVS AD NAVTAM.

*Hic iter omne vagis vagus error, & angor in vndis,*
*Dux, via, vbiq; mare eſt, ſi via nulla mari.*

## SPONGIA.

*Quot circum radiat æther oculiſſimus aſtris,*
*Tot numerat oculos ſpongia cæca ſuos.*
*His quid agat quæris? bibit & vomit ebria fluctus;*
*Mille oculos vnam non niſi crede gulam.*

## SPONGIA AD MARE.

*Mille & mille bibunt oculi gens humida lymphas,*
*Tota nato medijs ſobrius Argus aquis.*
*Mille vomunt oculi lacrymas quas adbibis vdo*
*Ore legens. oculos do tibi pota meos.*

---

# PISCES.

## TERMINVS PISCIBVS.

*Immetata mari metatur regna colonus*
*Squameus, & certo limite marmor arat.*
*Quiſq; ſuum populatus iter, quis crederet? aruo*
*Stat meta in liquido; par mare nonne ſolo?*

Miratur D. Baſilius diuinam prouidentiam, quæ in tam liquido elemento, quaſi in terris, limites ſtatuerit, *Hexameron.*

HOMO

## HOMO AD PISCEM.

*Me malè quæ ſepelit, liquens te patria paſcit.*
*Viue diu tumulo ſquamea turba meo.*
*Quantumnis vitreo Nereus te condat aſylo:*
*Non tamen effugies viua ſepulcra gulam.*

## TRITON & SIREN.

*Semiuir æquoreis Triton eludit arenis,*
*Cæruleum ſequitur cærula Sponſa procum.*
*Par amor inflammat, ardet de coniuge coniux;*
*An potis eſt gelido viuere flamma mari?*

## CAETVS.

*Ingens ingentes prouoluit belua fluctus,*
*Icta ſonant monſtro ſaxa fluentiſono.*
*Obſtupuit Doris, tot ſenſit vt æquore motus,*
*Et viuum ſcopulum credidit ire mari.*

## SALPA.

*Cui latus argento, ſua purpura pingitur auro,*
*Et flauo intexit trama micans radio.*
*Dic an ſalpa ſies ſindon argentea Nerei,*
*Dædala quam Nereis diuite pinxit acu?*

Piſcis pulcherrimus, vt deſcribit Iouius *de piſcibus.*

## ECHINVS.

*Iratum Oceanum, tempeſtatemq́; ſonantem*
*Oceano & diro fulmina fœta rogo*
*Signo mari, atq; ingens libro molimen arenis.*
*Anchora viuo mei, ſpinea viuo ratis.*

Tradunt ſæuitiam maris eum præſagire, correptisq́ue operari lapillis, mobilitatemq́ue pondere ſtabilire, *Plin. 9. cap. 31.*

NAV-

## NAVTILVS.

*Pinnatus volito tranquilla per alta viator,*
*Remipediq́ſ ſeco vomere & occo ſalum.*
*Naufragium exſpectas? cyatho minor eſto biremis*
*Me vehat, immenſa tutior ibo rate.*

Supinus in ſumma æquorum peruenit, ita ſe paulatim ſubrigens, vt emiſſa omni per fiſtulam aqua, velut exoneratus ſentina, facilè nauiget, poſtea prima duo brachia retorquens, membranam inter illa miræ tenuitatis extendit; qua velificante aura cæteris ſubremigans brachijs, media cauda vt gubernaculo ſe regit. Ita vadit alto liburnicarum ludens imagine, & ſi quid pauoris interueniat, hauſta ſe mergit aqua. *Plin. 9. cap. 29.*

## DELPHIN AD PVTEOLOS.

*Hic vbi ſulphureis fumant vada feruida Bais,*
*Fluctiſonante bipes denatat hoſpes agro.*
*Ardua pinnato ſubuectat belua tergo.*
*Currus an vndiuagus rex maris? æquor arat.*

Delphin puerum puteolos in ludum literarium itantem ſæpius ab eo Simonis nomine appellatus & panis fragmentis quæ ob id ferebat, allectus, miro amore dilexit. Pigeret referre, nî res Mœcenatis, & Flauiani, & Flaui Alſij, multorumq́ue eſſe, litteris mandata. Quocumque diei tempore inclamatus à puero, quamuis occultus & abditus ex imo aduolabat; paſtusq́ue è manu, præbebat aſcenſuro dorſum, pinnæ aculeos velut vagina condens: receptumq́ue Puteolos per magnum æquor in ludum ferebat, ſimili modo

reuehẽs pluribus annis: donec morte extincto puero, ſubinde ad conſuetũ locum ventitans, triſtis & merẽti ſimilis, ipſe quoq; (quod nemo dubitaret) deſiderio expirauit. *Plin.9.c.8.*

## TORPEDO.

*Arcanas hiemes & cæca papauera ponti*
*Abdo ſinu, ac celerem frigida vincla necem.*
*Et tibi dicor iners torpedo ſepulta veterno,*
*Tam citò quæ ſurdo curro per oſſa gelu?*

Etiam procul & è longinquo, vel ſi haſta virgáve attingatur, quamuis perualidi lacerti torpeſcunt; & quamlibet ad curſum veloces alligantur pedes. *Plin.31.c.1.*

## REMORA.

*Quam non vnca ſuo ſufflaminat ancora morſu,*
*Præcipitem infrænas ad tua vincla ratem.*
*Penè minor cubito ventos quæ vincis & æquor;*
*Tantula res vento maior es atque mari.*

Ruant venti licet, & ſæuiant procellæ, imperat furori, vireſque tantas compeſcit, & cogit ſtare nauigia, quod non vincula vlla, non ancoræ pondere irreuocabili iactæ. Infrænat impetus, vt vetet ire nauigia. Sed armatæ claſſes imponunt ſibi turrium propuguacula, vt in mari quoque pugnetur, velut è muris: heu vanitas humana! cum roſtra illa ære ferroque ad ictus armata, ſemipedalis inhibere poſſit, ac tenere diuincta piſculus. *Pl.32.c.1.* Rondoletus negat.

## VRANOSCOPVS.

*Quid mihi cum ponto? ſalſas dedignor arenas,*
*Vnde libet mergar, qualibet aſtra ſequar.*

*Vra-*

*Vrania hic oculus, quid enim niſi ſidera ſpectem?*
*Solus ego è brutis fratribus Aſtrologus.*

Oculum in fronte cęlum verſus gerit; vnde & illi nomen.

## TITHYMALLVS.

*Neſcibam violas, vel ſi quis gratior vllis*
*Floret honos pratis, ire per vda Padi.*
*Hic tamen afflat odor ver piſcibus: adde colorem,*
*Flos de piſce fluet. hortus an amnis erit?*

In Pado piſcis odoratus. D.*Ambroſ.*

# METALLA.

## ALVMEN

*Hoſtiles volitant innoxia tela per arces,*
*Mentitoq; ſtupet irrita flamma rogo.*
*Ignibus ignis abeſt, quis terrę neſcio alumnus*
*Vinxit. an Æmonia faſcinat arte faces?*

Naſcitur è terra ſalſuginoſa. Archelaus Mithridatis Dux turrim aluminatam opponit Scylæ Athenas oppugnanti, quam fruſtra iactis nequit incendere facibus. *Gell.* 15. *c.* 11. *Strabo. Pauſan.* ſic Perſę, *Marcell.* 20.

## SAL AGRIGENTINVS.

*Mira fides. Siculis concreta ſalina fodinis*
*Igne fluit, crepitat flumine; an ignis aqua?*
*Deſine mirari; pelago pelagiq; ſalinis*
*Sal foret hic concors, cui ſua terra ſalum.*

E terra foſſilis, igni liquitur, aqua ſtridet, ſecus ac ille qui mari concreſcit. *Auguſt. de ciuit. Dei.*

## CALX.

*Quę cana in glacie calx ſicca indormit arena*
*Viuere vis ſurdum dilue fonte gelu,*

Diſ-

*Diſſiliet crepitante rogo nix ignea ad imbres:*
*Natura anne ſui eſt immemor? ardet aquis.*

## MARMOR LACONICVM.

*Marmora Amycleo vidi deſecta metallo,*
*Dulcè virent: oculos detinuere meos,*
*Et quem non teneat viuis color æmulus herbis?*
*Ver an perpetuum ſaxea durat hiems?*

## PYRITES.

*Stulte, premis ſaxum, preſſo miſer vrere ſaxo;*
*Tange licet, glaciat ignea gemma manum.*
*Petra gelu eſt. dubitas? queis vrere, frigerat ignes.*
*Ignis & illa. petram cur ſua ſtringit hiems?*

Fortiter ſi premas vrit; ſin leniter tangas, refrigerat.

## ASBESTVS.

*Marrâ opus, anne colu? de ſaxo it textile ſtamen.*
*Si quid labis alit, dilue & vre foco.*
*Fullonem Vulcanus agit. toral eluet. alba*
*An Nympha ater erit Mulciber? igne lauat.*

Fila ducuntur è Caryſtia rupe, vnde mantilia & & retia, quæ igni iniecta ſordibus expiantur, ſine vlla ſui noxa. *Plutarch. de oracul. defectu.*

## MAGNES.

*Æolon Aſtreosq́; maris, bella horrida fratres*
*Num fragili palles in trabe? temne minas:*
*Me duce, mortis iter, mare tutus, & inuia curres;*
*Hoc ego ſum terris, fida quod Vrſa polo.*

## FERRVM VORAT.

*Vitali hinc animas letiferale metallum*
*Sorte trahens; ſordis dentibus inde teris.*

Quod

*Quod peccat tam dirus amor, dens expiat vltor.*
*Vrſa vale. i Libra (iuſtus es) aſtra ſequi.*
Ferrum quod rapit, rodit.

---

# GEMMAE.

## CRYSTALLVM.

*Pumicat omne latus natiuo raſile torno,*
*Et quod non didicit bruma, laborat opus.*
*Protea me credas, tot diſcolor induo vultus;*
*Dic ſpeculum è gemma quod ſibi tornat hiems.*

## MARGARITA è CONCHA.

*Concha ſitit, puros argentea germina rores,*
*Cælipotens lacrymas annue Diua * tuas.*
*Annuis. illimi pluit & gelat vnio concha,*
*Ros tener antè. gelu dat mare; an æquor hiems?*
* Luna, cuius ros eſt filius.

## HYACINTHVS.

*Delibo violam, ſed tantum libo; nec vltra*
*It votum: è caltha cætera pallor habet.*
*Pene pyropus eram, vel purpureo amethyſto*
*Filius, eſſe nouus malo hyacinthus honos.*

## OPALVS.

*Hic mare ſapphiri viridans, hic purpura & ignis*
*Siue amethyſte tuus, ſiue pyrope tuus.*
*Et quis non opalo gemmat radiante lapillus?*
*Scrinia gemmarum gemma vel vna facit.*

## SELENITIS.

*Cornua Sol viduæ reparas recidiua ſorori?*
*Et redit alternis æmula Luna modis.*

*Gemi-*

*Gemmea Luna pari hic pede currit vt altera cælo:*
*In gemma hac cælum Cynthia crede tuum.*

Selenites ex candido tranſlucet melleo fulgore, imaginem lunæ continens, redditque eam in dies ſingulos creſcentis minuentisque numero. *Plin.*37.*c.*10.

## VNIO.

*Par liquor argento cyanis incanduit aruis,*
*Quem madido exſudat Cynthia luſca peplo.*
*Dic lacrymã, aut nineum lac lunæ quidquid eburnis*
*Concha ſub valuis ſaxea durat hiems.*

## SMARAGDVS.

*Herbeſcit viridi in glacie, frondetq́ue Smaragdus.*
*Anne putas iugi vere perennat honos?*
*Fallere, dimidio tantum hic flos gemmat in anno.*
*Nonne gelu in viridi ver hiememq́ue facit?*

---

# ARBORES.

## AD SERENTEM ARBORES.

*Surgit humo ſeris carpenda nepotibus arbor,*
*Nunc ſine flore frutex, & ſine fruge nemus.*
*Si numeres annos, venturo proſpicis æuo,*
*Sin ſpem natorum, iam tua poma legis.*

## INSITIO.

*Arbor adoptiuis enupſit adultera ramis;*
*Spina fuit, ſpinam poma rubella grauant.*
*Dum pater Autumnus ſpinu leget vbere fructum,*
*Poma lego, dicet, an ſine vere roſas?*

PAL-

# PALMA INDICA.

*India quid ploras! ſterili te damnat arena*
*Nudus ager ſpica, palmite nudus ager?*
*Parce queri, tibi palma Ceres & palmes Iacchi.*
*Mundus opum eſt arbos vnica, & omne penu.*

Tota prorſus in vſu eſt, ita multiplici, vt vulgò ſi quem frugi & induſtrium efferre volunt, Palma vtiliorem appellant; prima dos in fructu ipſo, Cocum Indi, Indicam nucem Luſitani dixêre, humani ferè capitis magnitudine, duplici operimento: quorum exterius in ſummo læue ſtupea intus denſitate netur ac texitur in vitilium nexus & ancoralia, neque materia vlla ad nauticos funes & maris impetus obſequentior. Interior autem calix, ruſo colore & globoſa rotunditate prædurus addito auro vel argento in pocula figuratur. Ipſa vero pomi caro, amygdali in modum, pinguedine quadam & grato ſapore lacteſcens, non per ſe tantum in cibo grata eſt, ac ſalubris; verumetiam, vbi viſum fuerit, exhauſto lacte, paulatim in oleum eliquatur. Totus autem racemus, dum ex eo tener adhuc emicat fructus, nodo conſtrictus & leuiter inciſus, in obdita oris anguſti vaſcula opimum inſtillat ſuccum, ex quo varijs artibus coctionibusque veteri (vt ſtrabo ipſe teſtatur) inuento, mel ſeu ſacarum, vinum, acetumque perficitur. Iam folia cum & librarijs pro papyro ſint, & loco tegularum impoſita domibus arceant imbres; tum etiam in veſtes formā facili ſimul ac ſpiſſo cōtextu nectuntur. Denique vna eademq; arbor

omnia

omnia prorſus ad rem nauticam inſtrumenta ac materiem præbet. Quippe truncũ & ramos in malum, aſſamenta, clauosque; comam in vela, cairumque in funes (vt dictum eſt) omnium optimos, filaque ad laterum ſuturas. Poſtremò, cocum ipſum, quæque ex eo conficiuntur in onera. ita non ſine miraculo quodam, omnibus plane rebus ex ſemet apta & inſtructa nauigat palma, eademque diſciſſa per hiemem viuaces ad prunas, lenta ignium alimenta ſuppeditat. *ex Maffæi hiſt. Indic. lib. 7.*

## ARBOR LANATA.

*Laniſero Dryades ducunt iam ſtamina ramo:*
*Vt ſat muſcoſa vellera iêre colu.*
*Laniuoma prægnans aluo ſi texit Arachne:*
*Quid prohibet filo pubere nere nemus?*

## MAGVEI.

*Mel arbor, pluit arbor aquas, pluit arbor Iacchum,*
*Fila parit arbos, & ſibi gignit acum;*
*Excute mordaces ſpinoſo pectore curas.*
*Pro Domino Oeconomum, quam colis, arbor agit.*

Hanc in noua Hiſpania quiſque in vſum familiæ colit in agro, cuius è craſſo & lato folio filum cum acu ſeu cuſpide præfixa ducitur. Truncum adhuc tenerum certo anni tempore ſi incidas, aqua vbertim emanat; quam ſi coquis, in vinum abit & inde, ſi lubet, in acetũ amplius decoque. Dimidio minus ſi coxeris, ſyrupum guſtus ſuauiſſimi exprimes. Lignum molle & cauũ tenax ignium fomes; folia apta medicinæ & domorum tectis, vti & rudentibus: ſi enim aqua maceres, quid ſimile

cana-

canabi conficias. *Itinerarium P. Martini de Herrada libro 3. cap. 5.*

## FLORES GELV CADVCI.

*Picta rudi in pomo ridebant vota coloni:*
*Cruda pruinoſo dente mormordit hiems*
*Illa cadunt, ver poma legit non poma. malignum*
*In flore auctumnum verna pruina facit.*

## FICVS.

*Cornea cui fruticat lunatæ gloria frontis,*
*Aſperaq; irarum germina & arma tument;*
*Taure ferox animi dulci miteſce ſub vmbrâ.*
*In mores ficus blanda dat ire ſuos.*

Taurus ad ficum alligatus, manſueſcit. *Plutarchus.*

## AMYGDALVS.

*Calua ſoror picto necdum ſe comere cirro*
*Cœpit, & incanas rideo ſparſa comas.*
*Quot capiti cani, tot ſpondeo fœta nepotes.*
*Quæ necdum peperi, cana ſeneſco parens.*

Prima omnium floret.

## OLIVA MEGARIS.

*Quid non auſit iens per ſecula longa vetuſtas?*
*Mitis oliua cauo parturit arma ſinu.*
*Et parit, ah, ferrum, quæ tangi neſcia ferro;*
*Facta nouerca ſui pacis inerma parens.*

Suſpenſa olim arma cortici ſuo oliua incluſit, datum deinde oraculum, Megaram perituram vbi oliua arma perperiſſet *Pauſan.*

## MORVS.

*Veſtis inops hiemo, verno dum flore corollam*
*Pingit, ouans picto ruris ocellus agro,*

Nonne

*Nonne opus hoc Μῶρον? cum videris ægra pruinis*
*Prata mori, dices, quam bene Μῶρε ſapis.*

Morus nouiſſima vrbanarum germinat, nec niſi exacto frigore, ob id dicta ſapientiſſima arborum. *Plin.* 16. *c.* 25. Μῶρος, id eſt ſtultus.

## MYRRHA.

*Vulnifico myrrham radius ferit æſtifer ictu;*
*Illa fluit ſudo vulnere viſa mori.*
*Non moritur, Phœbi plus viuit ſaucia telo,*
*Seq; alit icta; pium vulnus in vber abit.*

Ad ſolis æſtum ſinditur myrrhę arbuſcula, quo è vulnere elacrymat liquor myrrheus qui funera condiat.

## CVPRESSVS.

*Æole, veſano coniuras bella tumultu?*
*Nil opus, in caſum gutta ſat vna meum.*
*Quæ minima minor eſt ſternet fera parua cupreſſos.*
*Quod nondum eſt arbor dat nemus illa mori.*

E cupreſſo fœmina (mas enim non gignit) pilulæ collectæ ſole ſiccantur, ruptæque emittunt ſemen formicis mirè expetitum: ampliato etiam miraculo, tantuli animalis cibo abſumi natalem tantarum arborum. *Plin.* 17. *c.* 10.

## CEDRVS.

*Arboreo it populo Regina ſuperba per auras,*
*Cedrus inexcuſſis, cedrus amœna comis,*
*Æternatq; ſuos ab cæde ſuperſtes honores;*
*Id nonne eſt ipſa morte nequire mori?*

## PINVS NAVTICA.

*Quo ruis ignotum temeraria pinus in orbem?*
*Irritasq; auidos in tua damna Notos?*

*Plus*

*Plus nimium eſt terris ſemel occubuiſſe ſecuri:*
*Vis iterum ponto naufraga præda mori?*

ARBOR IAPONICA.

*Dum dubitat natura feram plantamne virenti*
*Fronde velit; dubia ſtirpe pependit onus.*
*Impulit aura, cadit folium. ſtupet illa; ſub altæ*
*Matre animal currit, quod modò planta ſtetit.*

Caducum ex arbore folium illicet vt terram attigit, in animal vertitur. *Scalig. contra Cardan.*

POMVM INDICVM.

*Vipereo turget arbor malè fœta veneno;*
*Malus erat, diris malus amicta comis.*
*Vix tetigi, viuo mox vermino funere. Adami*
*Poma dedere mori, hic mors venit ante necem.*

# SEGETES.

CVLMVS.

*Germine de tenero culmus meditatur ariſtas;*
*Lacteaq́ altrici pabula ſugit humo.*
*Tam teres herba breui pede & omine ſuſtinet orbem?*
*Quàm leue quid mundus, cui breue gramẽ Atlas!*

ARISTA.

*Ne qua dearat hiems glaciali dente, vel ales,*
*Spem frugum teneras tondeat vnca comas;*
*Pubeſcens Cereris caput hirta ſatelles ariſta*
*Armat & os vmbrat. cur data barba Deæ?*

Seges criſpans ad ventum.

*Hic vbi ſollicitis criſpum mare fluctuat vndis,*
*Fluctus quem metuas, ruſtice, nullus erit.*

Per-

*Portus eò hic maior, plures quò videris vndas.*
*Quæ ni ſic creſcant; naufragus abſque mari es.*

## MESSIS.

*Vndat ager meſſes, zephyri criſpante flabello,*
*Plecte ſolum, & ferro tonſile cæde nemus.*
*Falx venit. expectas Cereris caput emetat imo*
*Ab pede? ſtulte tuos mors metet vnca pedes.*

## LVPINVS & CICINDELA.

*Mobilis alterno ſub ſole lupinus in horas*
*Vertitur, incertoq; erudit aſtra die.*
*Et rude rus quiſquam credat, cui neſcia falli*
*Aſtrologis plantis horologia virent?*

Iam Natura Vergilias in cælo notabiles cateruã fecerat: non tamen his contenta, terreſtres fecit alias, veluti vociferans: cur ſidera quæras ruſtice? iam te breuiore ſomno feſſum premunt noctes. Ecce tibi inter herbas tuas ſpargo peculiares ſtellas, eaſque veſperè & ab opere disiungenti oſtendo, lucentes veſperi per arua cicindelas: ita appellant ruſtici ſtellantes volatus, Græci verò Lampyridas, incredibili benignitate naturæ: ac ne poſſis præterire, miraculo ſolicito; Videſne vt fulgor igni ſimilis alarum compreſſu tegatur, ſecumque lucem habeat, & nocte? Dedi tibi herbas horarum indices, & vt ne ſole quidem oculos tuos à terra auoces, heliotropium ac lupinum circumaguntur cum illo. Cur etiam nunc altiùs ſpectas, ipſumque cœlum ſcrutaris? habes ante pedes tuos ecce Vergilias. Incertis eæ diebus proueniunt, durantque fœdere ſideris huiuſce-

par-

partumque eas illius eſſe certum eſt. Proinde quiſquis æſtiuos fructus ante illas ſeuerit, ipſe fruſtrabitur ſeſe. *Plin.18.c.26.27.*

## ARVNDO INDICA.

*Mella pluunt, auidis bibit Indica arundo medullis,*
*Sic fauus abſq; fauo eſt, cui labor æſper apis.*
*Sic ſtimulant curæ, & ſudor ſalſo imbuit imbri;*
*Et mel hoc triſti dic ſale amariciem.*

Braſilia ſaccari præſertim ferax, quod cæleſte eſt donũ, Attico melli multis partibus preferendum, proceris arundinibus condidit natura: è quibus aquariâ molâ dulciſſimus humor expreſſus in ahenis ad purum excoquitur, tum formis in panes cogitur ad metæ figurã: dein rurſus vbi libuerit, eliquatus, artifici manu pigmentis ad inſtar ceræ varias in effigies indiſcreta penè veriſimilitudine trahitur. *Maffeus lib.2.rer.Indic.*

# HERBÆ.

## CAVLIS.

*Braſſica ſi viridi ſpectem tua dona catino:*
*Vile caput cœnæ; cœnula parca fabrûm.*
*Sin bella, & Semeles cornutæ è prole triumphum;*
*Nobilior raro es planta laſerpitio.*

Ebrietati reſiſtit.

## CALENDVLA.

*Luna cauo quoties inſtaurat cornua torno*
*Solis opus; picto germine adopto caput.*

*Ruſtica Roma tubas ſeu cornua pone Calendas;*
*Qui ſignet lituus flos tibi mutus erit.*
Singulis calendis pullulat. Olim Romani in Curia Calabra calendas ſignificabant, vnde & verbum *Calare*.

## ALIVD.

*Stellanti vt circo reduces Sol flexit habenas*
*Et ſtitit alternas menſtrua meta rotas.*
*Flore nouo te comiţ; eunt noua ſerta Calendis;*
*Auricomo vt nubas aurea ſponſa proco.*

## SINAPI.

*Antè minor minimo, fratres virideſq; ſorores*
*Nunc ſupero, aut certè nobile adæquo caput.*
*Eſt mihi & alter honos, ad lautas ventito cœnas.*
*Res mihi cum naſo; ſannio an aſper ero?*

## CVCVMIS.

*Errabunda traho veſtigia more chelydri,*
*Anguis egon', criſpo qui pede radat humum?*
*Sum cucumis, medijs ſerpens innoxius herbis,*
*Quem ſi ſæpe voras, noxia & anguis ero.*

## SAXIFRAGA.

*Concute nutantes erato turbine muros,*
*Qui legis armata laurea ſerta manu.*
*Herboſo aſſultans frangam ariete ſaxa: quod armis*
*Vna dies, herbæ ſæcula inerma dabunt.*

## Aconitum loquitur hydropi.

*Quas tibi nunc hydrops Bacchi male ſobrius hæres*
*Vtre ſuo affundit, debibo vt ignis aquas.*
*Hoc equidem miror: gelidas cur ambio lymphas,*
*Quem rabida ὑδροφόβῳ de cane ſpuma parit.*

Aco-

Aconitum hydropi medetur, quod fingunt è Cerberi ſpuma enatum, cuius eſt (vt pote rabidi) aquas timere.

## HERBA MEDICA.

*Heu cadit Armenioq; cadens ſaxa eruit agro,*
*Medica quem miro faſcinat herba dolo.*
*Ædificant (bene vortat opus) ſed flebile læto*
*Ædificant buſtum funera viua ſuum.*

A Parthis victus & rerum omnium penuria preſſus Antonij exercitus, ignota herba famem ſolatur; cuius eſu mente emoti homines ſaxa ſolo eruderant, & ſpecie ſtruentis reponunt, donec mors occupet. *Plutarch. Anton.*

## FVNGVS.

*Quid ſolio maius? fungo quid vilius! altos*
*Ille tamen reges deruit è ſolio.*
*Et qui vile caput, mundi caput ardua tollit,*
*Num fungus maior Cæſare, Cæſar humi eſt.*

---

# FLORES.

## HORTVS NATANS.

*Hic qui luteolis gemmat de floribus hortus,*
*Eſſe ſolum credis? fallere. credo ratem.*
*Nauigat vnda liquens; ſtabili ſi currit in aruo?*
*Cur non & tellus ambulet hoſpes aquis?*

Apud Mexicanos humano ingenio horti natant. A coſta.

## IMBER IN ROSETO.

*Imber alit florem, grauido flos labitur imbri,*
*Extinguit iuſto largior, aquus alit,*

*Nec mora, delet aquis pictoq; in germine florem.*
*Quæ ſic imbre perit, pro roſa imago roſæ eſt.*

## AMARANTHVS.

*Ambitioſa Ceres flauo ſe iactet in auro;*
*Purpuream in meſſem ſpicea ferta geram.*
*I roſa, cum violis tecum rape caltha fugaces*
*Veris opes. annus ver mihi totus erit.*
Numquam marceſcit, vnde & illi nomen.

## AMARACVS.

*Inuidit Cinyræ mors triſtis Amaracon; hæſit*
*Limine pes, lapſo fudit amoma pede.*
*Nunc flos de puero Cinyræ dat rurſus odores;*
*Vna dies puerum perdit, & vna parit.*
Amaracus puer dum Cinyræ Cypri regi adfert vnguenta, offenſans cecidit; & in odorum nominis ſui florem conuerſus fuit.

## AMELLO.

*Quem non formoſo proritat in oſcula vultu?*
*Qui ſedet in Tyria pulcher amello toga.*
*Certè oculos trahit ille meos; quo deuius erro?*
*Cur florem vſq; ſequor, cui ſua vita fuga?*

## ANEMONE.

*Vt Zephyrus tepidis huc diſcolor appulit aliſ,*
*Mille mihi impertit ſuauia tincta roſis.*
*Quid? ſi puniceis labijs afflaſſet odorem,*
*Surda ex anemone iam roſa odora forem.*

## ASTER.

*Stellimicans virides aſter intermicat herbas,*
*Luteoloq; redux ſidere inaurat humum.*
*At ſpolium it vento. vah! flos obnoxius orco!*
*Cui velut æthra ſolum, quiq; dat aſtra ſolo?*

QVA.

# QVADRVPEDES.

## ELEPHAS ADVLTERVM NECAT.

*Mars Venerem inceſto quis neſcio deperit œſtro.*
*Qui ſcelus hoc plectat, Mulciber vlter erit?*
*Bos plectit quadrupes; extinxit belua mœchum.*
*Vulcanum vindex cur elephantus agit?*

## VRSVS ISLANDVS.

*Marmorea vt glaciale caput Tethis aſpra corona*
*Vinxit, hians vincto nauigat vrſa ſalo;*
*Squamiferosq; ſuper Nerei populatur alumnos.*
*I nunc dic cæcam (cui ratis vnda) gulam.*

Glacialibus fruſtis innatat, piſcesque intercipit.

## CERVVS INTER CANES.

*Mille canes volitant, volitant & mille ſagittæ,*
*Stridula ſollicitum radit arundo caput.*
*Et tot ego obluctèr temerarius vnus in hoſtes?*
*Hic leo ſi pugnet, ceruus inermis erit.*

## AD HINNVLVM.

*I pius & ſyluis cornutos quære parentes*
*Imbellis populi corniger ille nepos.*
*Et lude vt cicur es, ludis nimis; impie, ceruum*
*Nonne capis? blando quàm canis aſper auo es?*

In regno Mogor teneris hinnulorum cornibus illigant laqueos, quibus in ſyluis ceruos capiunt dum ijs colludunt. *Epiſt. Indicæ.*

## CERVI CORNVA.

*Stat volucri pede fulta ſalus, ſed cornua noxæ.*
*Pes leuat errantem cornea ſylua grauat.*
*Plus cerui ſapuere pedes quam cornua: an vllum*
*Hic caput aut cerebrum, mens vbi tota pedes?*

## EQVVS CAESARIS.

*Tu potis æripedi Zephyros præuertere curſu,*
*Ardor fulmineo turbine tantus agit.*
*Tecum Pegaſeis Perſeus ſi certet in alis,*
*Pone tuos calces, credo, pedeſter erit.*

## LEPVS EFFVGIENS.

*Sol erat, adſpexi leporem, fugit; inſequor, exit;*
*Addo gradum, æripidi præuolat ille fuga.*
*Quod potui, clamore premo, fruſtratur hiantem,*
*Capta nec apta capi, me fera fraude capit.*

## ERICIVS.

*parturit ingenuos vindemia liuida botros,*
*Vix fert quod peperit vitea mater onus.*
*Spinea turba legit. quadrupes quot ſpina racemis*
*Purpurat, autumni crede tot ire roſas.*

## ALIVD.

*Vua tumet Baccho, prædo quatit horridus vuam,*
*Et rapit vngue, rubet ſpinea terga botrus.*
*Qui modo ſpinoſi vindemitor ibat Iacchi.*
*Spinea nunc currit vinea plena mero.*

Pede decutit vuas, quas induit ſpinis ſuis, & ad latebras defert. *Plutarch. de ſolert. animal.*

## CANIS DEPILIS.

*Vmbra pili hic nuſquam, quis te ſic tondet in horas*
*Calue canis? ſemper num tibi tonſor herus?*
*Te ſic calua parens non natum attundit in aluo.*
*Corpore num toto ſimia glabra canum es?*

Canis è nouo orbe, cui nullus vnquam toto corpore pilus.

TAV-

## Taurus cornua ſua experiens.

*Aſperat in ſyluis lunatum robur, & aſpra*
*Fronte furens pecoris dux ſibi bella cietꝫ;*
*Et ludi imbelli ſub imagine bella figuratꝫ.*
*Cui pugnare iocus, pugna quid eius eritꝫ?*

## PIGRITIA.

*Eſt animal, vigila lector ſi ſter tu, imago eſt*
*Viua tui ignauus cui pigra vita labor.*
*Biduo iners ramum dum currit in arbore ſcanditꝫ.*
*Sic tarda in ſylua currere, pigritiæ eſt.*

Pigritia animal Indicum vulpeculæ magnitudine, fœdo ad adſpectum roſtro, & vngnibus ad digitorum ſimilitudinem prominentibus. Huic ex occipitio exiſtens coma ceruicem velat, lentoque ipſa ventris adipe verrit humum; neque vnquam in pedes exſurgit; denique tam tardè mouetur, vt quindecim ipſis diebus ad lapidis iactum continuo tractu vix prodeat. Victitat arborum folijs, & in earum cacuminibus degit plerumque. Quarum in aſcenſu biduum circiter, tantumdem in deſcenſu ponit. neque verò adhortationibus tantum aut minis, ſed ne plagis quidem fuſtibuſue beſtiam vel tantillum de inſita ignauia ac tarditate dimoueas. *Maffeus lib. 2. hiſtor. Ind.*

## ARMADILLO.

*Loricæne prius mirer, biſidiue mucronis:*
*Et caput & ſquamis textile miror opus.*
*Eſt mage quod mirer quadrupes cum miles in armis*
*Semper agis; vili præda es inerma coco.*

Inſolito ſpectaculo Tatuſiæ ſunt, ad porcelli ma-

gnitudinem, corio ſquamatim loricato, ſic vt equi cataphracti ſpeciem reddant: ex eo caput duntaxat, ceu teſtudines exerunt; pedibus contractis, & ſpecubus fermè vti cuniculi ſeſe continent; hę quoque carnes palato gratiſſimæ. *Maffæus hiſt. Ind. lib.2.*

## CYNOCEPHALVS.

*Ruſticus ignota quorſum euagor hoſpes eremo?*
*Dignius vrbanæ ſors dabo iura togæ.*
*Adſpice ſtillo diem bis ſenas ſolis ad horas,*
*Apta foro, ad lites, clepſydra viua fluam.*

## ICHNEVMON.

*Pullulat exeſa mus hæres poſtumus aluo,*
*Quem male panda hauſit belua hiante animâ.*
*Quæ viuam incauto concepit pectore mortem.*
*Quam bene iam vitam mortua ventre parit.*

Crocodilum ſaturum cibo piſcium, & ſemper eſculento ore, in littore ſomno datum, parua auis, quæ trochilos ibi vocatur, rex auium in Italia, inuitat ad hiandum pabuli ſui gratia, os primum eius aſſultim repurgans, mox dentes, intus & fauces quoque ad hanc ſcabendi dulcedinem quam maximè hiantes: in qua voluptate ſomno preſſum conſpicatus Ichneumon, per eaſdem fauces, vt telum aliquod, immiſſus erodit aluum. *Plin.8.c.25.*

## CROCODILVS.

*Sæuit aquis, ſæuit terris vaſto horrida hiatu*
*Belua, Niliacæ dira tyrannis aquæ*
*Vin fugiam? ſequar. illa fugit? magis inſto. fugacem*
*Quo peto plus mortem; quo mage nolo mori.*

IN-

# INSECTA.

## VIPERA SE RENECTENS.

*Dede feram leto, leto quæ dedidit orbem;*
*Quæq; vomit, æquâ ſorte venena bibat.*
*Scindo feram; extinctam credis? ſibi pullulat hæres.*
*De nece mille parit vipera trunca feras.*

## SCARABAEVS.

*Cerne equitat terris viridi iam Cynthia tergo.*
*Quantus honos! Phœbes ibo bicornis equus.*
*I nunc & iacta quos Æmonis herba bimembres*
*Paſcit equos, mannus tantulus aſtra vehit.*
Dorſo fert Lunam.

## PAPILIO AD AQVILAM.

*Ardentem contra ſpecta Iouis armiger orbem:*
*Me pernox vigili ſidere tæda tenet.*
*Hei mihi! ſpectantẽ vorat improbus ignis. An alter*
*Papilio Phœnix? fax vice ſolis erit.*

## TARANTVLA.

*Peſtis init venas; quæris Machaonis artes,*
*Quæq; viret Calabris pæonis herba iugis?*
*Tange lyram. certæ chorus & lyra nata ſaluti.*
*An medicas icta vox habet aure manus?*
Aranei genus in Calabria, cuius aculeo quis ictus, quamdiu muſicam audit, tamdiu ſaltat, & ſic medetur veneno. *Alex. ab Alex.*

## COCCHENILLO.

*His habitat folijs textor tinctorq; : rubenti*
*Flore togam hic tingit; induit ille feram.*
*Seq; ſuis capit vltrò plagis. quid ſtultius? hoſtis*
*Ipſe ſibi & prædo. ſed ſapit, erubuit.*

Agnaſcitur vermiculus ſterili plantę dictę Tunal, cuius in folijs ſe reti includit, aptus tingendæ purpuræ vbi exſiccaueris. A coſta *hiſt. Indic. lib. 4. c. 23.*

## BOMBYX.

*Extexo teretes lanoſo pectore tramas,*
*Fuſus vbi eſt, quæris ruſtice? nullus erat.*
*Maius alo monſtrum queis prægnans diuite læto*
*Ibo mori, viuos noſtra ſepulcra tegunt.*

Inuoluit ſe glomo ſuo & emoritur, inde detexitur byſſus.

## FORMICA.

*Sum nihil aut nihilo res pene ſimillima, certè*
*Corpus abeſt, punctum corporis eſſe putes.*
*Hic tamen archiuum ſophiæ mens prouida condit;*
*Ac in tam nullo corpore cuncta ſapit.*

## VESCITVR SVA MESSE.

*Furta tego furtiq; locum præſaga procellæ,*
*Ne populet hornas inuidus Auſter opes.*
*Dein ſicco horreolo fruges premo, & emolo meſſem.*
*Sic media æſtiuos dat mihi bruma dies.*

## FAVVS.

### Homo loquitur.

*Ceræ opifex mellisq; parens, in pabula rores*
*Vertit, & è vitreis prandia cœnat aquis.*
*Et mihi cœna fauus; cibus an liquor ille? liquenti*
*Vt bibo melle dapes, ſic edo pocla fauo.*

## APIS.

*Pabula odora lego picto conuiua theatro;*
*Et bibo gemmanti dulce merum viola.*

*Cleo-*

*Cleopatra * tuas abſume in pocula gemmas;*
*Lautius & gratis parca epulatur apis.*

* Vnionem ingentis pretij aceto liquefactum ſorbuit.

## VESPA.

*Vt ſat bella foris duxi, breue pacis aſylum*
*Condo domi, & fabra molior arte domum,*
*Me ſoror erudijt, quæ libat mella liguſtris;*
*Cur non & docuit fingere docta fauos?*

Fingit fauos ſine melle.

## ARANEA.

*Lanifico vt peperi gremio ſine vellere ſtamen,*
*Parturio plena denuo penſa colu:*
*Quid iuuat alligeras ſic tela intexere prædas,*
*Si vacuam in telam pro dape præda redit?*

## AD ARANEAM.

*Mortis iniquus auus ſerpens maleſuadus opaca*
*Dormit humo. i recto ſtamine fige caput.*
*Nam telum in filo, ſi ſic ſis noxa veneno,*
*Cur etiam nocuum virus vt hoſtis alis?*

## AD CICADAM.

*Frondicomo argutas cythariſtria mima theatro,*
*Gramineoq; choros ducis amœna ſolo.*
*Sic tibi mors ſurrepit iners. id viuere vitam,*
*Anne mori? exſequias tu tibi viua canis.*

---

# THEATRVM ORBIS
## In VIII. gradus diuiſum.
# REGIONES.

## ASIA.

*ARgento hic liquido radians intermicat aurum,*
*Purpureoq; natat gemmea gaza mari.*
*Scilicet incedo Regina; hinc aurifer orbis*
*Natiuum capiti dat diadema meo.*

## INDIA.

*Supra Indũ, Gangemq́; ſupra qua terminus orbi,*
*Diues cinnameo cortice ſilua viret.*
*Et dites ebeno luci hic cunabula ſolis,*
*Queis cælum in terris India odora facit.*

## ARABIA FELIX.

*Quam ſol æſtiferis damnat, coquit, vrit arenis,*
*Neſcio cur felix dicar, & orbis honos.*
*An quia myrrha meo fluit vbere Manibus imber?*
*Orco, non cælo debeo id vſta decus.*
Myrrhâ funera condiuntur.

## AFRICA.

*Hæc ego fuſca parens nutrix animoſa leonum,*
*Africa monſtriparis, Africa fœta feris.*
*Quam populat ferus hoſpes Arabs, Scytha, Apella,*
*Naſammon,*
*Non ſat mōſtra fero? cur fera & ipſus homo eſt?*

AEGY-

## AEGYPTVS.

*Litus habet pontum, nec habet ſua litora pontus,*
*Stagna virent herbis, & viret herba ſi etis.*
*Fit pelagus pereunte ſolo Mareotica tellus;*
*Mox pereunte ſalo, campus & amnis erit.*

Nilus ſtatis menſibus Ægyptum inundat & fœcundat.

## SYRTES AFRICANAE.

*Inſidum ratibus tenuans mare Syrtis arenam*
*Fraudat aqua, it breuibus Tethis, auara vadis.*
*O potius pleno largos vomat æquore fluctus,*
*Cur plus vt noceat, hoc minor vnda ſalo?*

## EVROPA.

*Marte potens, generoſa viris, fœcunda triumphis*
*Europa armiſono voluit in axe rotas.*
*Hîc Aſia, hic Libye diti vbere, & vbere gaza.*
*Par hac pars mundo, mundus an alter erit?*

Europa altrix victoris omnium gentium populi, longeque terrarum pulcherrima, quam plerique meritò non tertiam portionem fecêre, verum æquam in duas partes, ab amne Tanai ad Gaditanum fretum, vniuerſo orbe diuiſo. Oceanus hoc, quod dictum eſt ſpatio, Atlanticum mare infundens, & auido meatu terras, quecumque venientem expauere, demergens: reſiſtentes quoque flexuoſo litorum anfractu lambit. Europam vel maximè receſſibus crebris excauans, quatuor habet ſinus. *Plin.* 2. c. 1.

TRA-

## Trapezvntivm Imperivm.

*Nunc iterum irato pontus furit † ἄξεινος aſtu,*
*Tethis vbi Euxinis hoſpita riſit aquis.*
*Taurica Grauigenas rurſum immolat ara nepotes,*
*Pro cerua*, ſerua hic Iphigenia gemit.*

† Pontus ob immites & efferatos accolas, olim dictus ἄξεινος inhoſpitalis, pòſt εὔξεινος, id eſt, hoſpitus, ob ſuam amœnitatem & mitiores accolentium mores.

* Turca Græcos, olim Ponti & Trapezuntij Imperij Dominos, acerba premit ſeruitute.

## Italia.

*Saxeus Auſonium præcingit circulus orbem,*
*Mille ſuper montes, queis iuga nexa iugis:*
*Perpetua natura parens, hac, credo, corona*
*Munde tuum Oenotrio cingit in orbe caput.*

Terra omnium terrarum alumna; eadem & parens numine Deûm electa, quæ cælum ipſum clarius faceret, ſparſa congregaret imperia, ritusque molliret, & tot populorum diſcordes ferasque linguas ſermonis commercio contraheret ad colloquia, & humanitatem homini daret: breuiterque vna cunctarum gentium in toto orbe patria fieret. Sed quid agam? tanta nobilitas omnium locorũ, quos quis attigerit, tanta rerum ſingularum populorumque claritas tenet. *Plin.* 3. *c.* 5. Alpes eam ſeu natiuo è ſaxis baltheo, tanquã rerum dominã coronant.

## Campania.

*Me toruo oblimat oculo contermina Thuſci*
*Diua, pari vultu Sicelis ora notat.*

*Aut*

*Aut hic, aut nuſquam eſt, quod terris Itale cælum*
*Quæris, & Elyſium, ſed ſine dite nemus.*

Tam fœlix & beata eſt eius amœnitas, vt palàm ſit vno in loco gaudentis opus eſſe naturæ. Iam verò tota eius vitalis ac perennis ſalubritatis cęli temperies eſt, tam fertiles campi, tam aprici colles, tam innoxij ſaltus, tam opaca nemora, tam munifica ſyluarum genera, tot montium afflatus, tanta frugum & vitium olearumque fertilitas, tam nobilia pecori vellera, tot opima tauris colla, tot lacus, tot amnium fontiumque vbertas, totam eam perfundens, tot maria, portus, gremiumque terrarum commercio patens vndique, & tanquã ad iuuandos mortales, ipſa auide in maria procurrens. Neque ingenia, ritúſque ac vires, & lingua manuque ſuperatas commemoro gentes. *Plinius lib.* 3. *cap.* 5.

## FRANCIA.

*Iuno, Venus, Pallas certant; Iuno ardua colles,*
*Arces Pallas habet, & mare lene Venus.*
*Quis Paris hic? nullus. nullo hic diſcordia pomo,*
*Ad Sequanam ternas vincit oliua Deas.*

## HISPANIA.

*Fumabant Ar bo iam noſtra incendia buſto,*
*Surgit odorata fruge renata ſalus.*
*Sole nouo effœtos inſerpit vita per artus,*
*Alter ego an Phœnix poſtuma ſecla traham.*

Annos penè 800. ſub Arabum iugo ingemuit: nunc Indiarum commercio & aromatum mercimonio refloreſcit.

## LVSITANIA.

*Diues Erythræis huc adnatat hoſpes arenis,*
*Adnatat Eoo meſſis odora ſolo.*
*Adnatat & Ganges, & diſcolor adnatat Indus,*
*Aurifero vt nubat gemmea Nympha Tago.*

Vlyſſipo ad Tagum ſita, qui olim auri ramentis diues; eò ſi vſquam, ex India gemmarum adfertur copia.

## HVNGARIA.

*Limes eram; ceſſit emotus terminus aruis.*
*Qua cedit, populos opprimit ille meos.*
*Iam media Hungarico deſedit Turcia campo.*
*In Tanaim an Scythicis vertitur Iſter aquis?*

Turcæ è Scythia, in qua Tanais fluuius nobiliſſimus.

## SCYTHIA.

### Scythæ querela.

*Terra hic cruda gelu, ſine flumine flumina & æquor,*
*Vrſa fremit terris, & fremit Vrſa polo:*
*Et Scythicis ſol exſul agris, mihi patria tellus*
*Si mundi exſilium eſt; dic vbi viuo domi?*

## AMERICA.

*Cæruleo Tethis quem peplo inuoluerat orbem,*
*Gemma comes velis lyncea ſignat acu.*
*Trans metã Herculeam cælo natat auſpice magnes.*
*Maior it Alcide, neſcius ire lapis.*

Ope magnetis reperta America.

INSV-

# INSVLAE.

## ATLANTIAS.

*Quanta ſteti, tellus mihi teſtis, & arduus æther:*
*Eximium terris attigit aſtra caput.*
*Quanta cado, & teſtes fluctus ingente ſepulcro,*
*Vnda viden' toto funerat Oceano.*

Olim terra continens, vel inſula immenſa inter Hiſpaniam & Indiam, in mari Atlantico, eluuie vndarum ſepulta vt vult Plato.

## THERA & THERASIA.

*Non tulit abradi toties ſua littora edaci*
*Terra ſalo, & fluctu naufraga regna rapi.*
*Sed ponti vlta nefas, vterum quatit anxia, terras*
*Quas rapuit, iuſto reddidit vnda ſinu.*

Ambæ hæ inſulæ natæ è mari, ad terræmotum ſub Copronymo.

## COS.

*Hippocrates ſeptem par vrna remittit in orbem*
*Cos, vbi Threicio tunditur icta ſalo.*
*Si Cos tot medicis vitai diues aſylum,*
*Quem letum hic rapiet, mors vbi mortis agit?*

Ex hac inſula orti ſeptem Hippocrates Medici.

## RHODVS.

*Inuidiam cœlo, cœlo motura pudorem,*
*En Rhodos aureolis vermiculata comis.*
*Delicium hæc Solis; cæli an dolor? iuit in vmbras.*
*Ah! vrit Scythica ſub niue Luna roſam.*

ῥόδος, id eſt *Roſa* Soli olim ſacra, nunc ſub Turcarum Imperio gemit, cui Luna inſigne.

LIPA-

### LIPARA.

*Quis Liparum neſcit? Liparæq; incendia & vndas*
*Inter, anhelantes ignea ad antra rogos?*
*Hic mihi nil tecum Sol; iugi in Lampade pernox*
*Æolus innubi nocte dat ire diem.*

Ardet hic olla Vulcania, cuius crater, ſi Boreas ſpirat, ſerenis flammis noctem illuſtrat, ſin Auſter, fumo inuoluit.

### INSVLA NATANS.

*Quà ciet aura, fugit cyano terra herbida campo,*
*Vndiuagam è viridi ceſpite crede ratem.*
*Ingens oceano ſi nauigat inſula tellus,*
*Num male cum toto portio parua natat?*

Ad Aquas Cutilias in Italia, ſic & in Hiſpaniola, & apud Audomaropolim.

---

## MONTES.

### COMORINVM PROMONTORIVM.

*Vreris æſtiua face; nauita flecte carinam;*
*Attiguo hibernant litora cruda mari.*
*Tam tenui brumam ſi limite diuidit æſtas,*
*Annua tam longum cur rota voluit iter?*

In ora Piſcariæ, cuius ad vnum latus mare æſtiuat, alterum breui flexu hiemat.

### TAVRVS.

*Perſultat mea terga Cilix, iuga ſaxea luſtrat*
*Sogdus; Achemennis vallibus errat eques.*
*Et quis non Aſia campus me ſpectat, & vnus*
*Mons ego? ſum mundus montibus innumeris.*

NI-

## NIPHATES.

*Horriſono Aſtræos luctantes agmine fratres*
*Frangit inacceſſum petra ſuperba caput.*
*Indomitum captiua parens imitare Niphatem.*
*Arduus abſque iugo fert iuga, & aſtra ſubit.*

Mons arduus in Armenia, quæ nunc ſub Turcarum tyrannide.

## ATLAS.

*Quam latè ambuſtas Libyæ deſpectat arenas,*
*Fulcit Atlas humero ſydera pinifero.*
*Et cælo attiguum caput inſerit, inde velutim*
*Oreadas docuit ducere vt aſtra choros.*

E medijs arenis in cælum attolli prodiderunt, aſperum, ſquallentem, qua vergat ad litora Oceani, cui cognomen impoſuit: eundem opacum nemoſorumque & ſcatebris fontium riguum, qua ſpectat Africam, fructibus omnium generum ſponte ita naſcentibus, vt numquam ſatietas voluptatibus deſit. Incolarum neminem interdiu cerni: ſilere omnia, haud alio quam ſolitudinum horrore: ſubire tacitam religionem animos propius accedentium, præterque horrorem elati ſuper nubila, atque in vicinam lunaris circuli. Eundemque noctibus micare crebris ignibus, Ægipanum Satyrorumque laſciuia impleri, tibiarum ac fiſtulæ cantu, tympanorumque & cymbalorum ſonitu ſtrepere. Hæc celebrati autores prodidere. *Plin. 5 cap. 1.*

## AD HAEMVM.

*Qua caput obiectas Scythico glaciale trioni,*
*Iſmariuque riget Biſtonis ora gelu,*

Non

*Non niſi ſpecto nigras pro monte in ſaltibus vmbras;*
*Contiguus cælo ſurgis, & Hæme lates?*
Mons in Thracia altiſſimus pene cælo contermi-nus at ſaltu denſiſſimo opacus & deliteſcens.

## RHODOPE.

*Viue diu Rhodope, ſerum memorandus in æuum;*
*Cumq; tua hic Orpheu viue perenne lyrâ.*
*Te ſi Fama ſilet; vel ſaxa loquentur & orni.*
*Queis dedit ars aures, & dabit ora chelys.*
Hunc traxit Orpheus auritasque eius arbores.

## TEMPE.

*Hinc prono cadit vmbra iugo, hinc viret herbida val-lis;*
*Inde cauo alludit frondea ſcena ſpecu.*
*Anguipedi hinc fugitans Peneus per gramina riuo,*
*Naiadum in ſpeculo pingit Hamadryadas.*
Amœniſſima in Theſſalia vallis in qua Peneus Fluuius.

## ATHOS.

*Qua licet, irrumpit audaci nubila ſaxo,*
*Dedignansq; ſolum ſidera lambit Athos.*
*Hoc tibi de Superis dic victrix terra trophæum;*
*Quæ toties cælo vindice victa cadis.*

## OSSA.

*Inſultans humiles colles, per inania rerum*
*Oſſa giganteo territat aſtra iugo.*
*Nil opus Encelado cælo qui torqueat Oſſam:*
*Mons ipſe Enceladum nonne ſuperbus agit?*

## OLYMPVS.

*Et viret Iſmaron, & ſuper æquora Thracia rupes,*
*Deſpectatq́ alto ſaxa ſuperba iugo.*
*Cui propius deuexo incumbit pondere cælum.*
*Quis ſcit an eſſe velit alter Olympus Atlas?*

## AETNA.

*Candentes vomit Ætna globos, vomit ignea matris*
*Viſcera; flammandos ſulphur inundat agros,*
*Siceli Diua tremis tot circum incendia? auarâ*
*Ne pereas flamma, te mare cingit aquis.*

## ALIVD.

*Flammiuomam mirer rupem ſociaſue pruinas?*
*Iugis vt hic æſtas, ſic quoq́ iugis hiems.*
*Siceli Diua duos dic vno in vertice montes.*
*Candicat Enna roſis, & rubet Ætna rogis.*

Ad mare Siculum flagrat mons Gibel perenni incendio, perpetua tectus niue circa cracteres.

## VESVVIVS.

*Voluit luctantes anguſto pectore flammas*
*Veſbius, & cælo flammea bella vouit.*
*Seq́ ſuo ſepelit buſto. tremit Itala tellus.*
*Qui ſibi non parcit, dic cui parcet agro?*

## HECLA.

*Hecla pruinoſo meditans incendia campos,*
*Anxia fulmineos voluit in aſtra globos.*
*Hîc ſpectra, hîc gemitus, hîc luctiſoni vlulatus,*
*Hîc nix, hîc ignes. Arctos an orcus erit?*

In Iſlandia penè ſub polo Arctico mons perenni incendio infamis, vbi gemitus, laruæ & ſimilia ſe oculis auribusque ingerunt.

MONS

## MONS FICHTELBERGH.

*Arduus inſi acto prorumpit in æthera ſaxo,*
*Vmbratq; iratos mons animoſus agros.*
*Quadrifidum inde vomit vndoſo vortice fontem?*
*Alter an irriguis hic paradiſus aquis.*
Ingētia quatuor flumina quaqua verſus diffūdit.

## MONTES PERVANI.

*Nunc viridi ſylua nunc purpureo narciſſo,*
*Nunc tincti viola, luteolo ue croco*
*Luxuriant montes: mirari deſine, alumnis*
*Quod dat terra ſuis, ver ſibi auara negat?*
Dicti ſunt Andes, vario colore inſignes, qui triplici quaſi montium cingulo totam Peruanam ditionem baltheo, quanta eſt, præcingunt & diſſecant.

## VIA IN CVSCO.
### India ad famam.

*Pyramidas, Soles, Labirynthos, Mauſolea,*
*Templa, Theatra, Pharos Phidiacosq; Ioues*
*Fama ſile; via noſtra tuo par circus agoni,*
*Qua tua inoffenſis gloria curret equis.*
Via mira, omnium miraculorum miraculo ſuperans omnia Romanorum opera. vide Lopez.

# LACVS.

## MARE MORTVVM.

*Guſto ſalo. crudus guſtantem torquet amaror:*
*Neſcio plus aloës, an ſalis æquor habet.*
*Et dubito an ſal triſte fluat de littore, & vndis*
*Dat fel, dat lacrymas ſaxea imago ſuas.*

Ad mare mortuum ſalſiſſimum ſtat vxor Loth verſa in ſalis ſtatuam.

## LACVS ACRONIVS
### Ad Rhenum.

*Rhene pater, cyanis cui flumina crinibus errant,*
*Flumina nimboſo præcipitata iugo,*
*Longa via Oceano eſt, feſſas ô ſiſte quadrigas,*
*Hoſpitium hic; vrna diuite aquabor eques.*

Eſt prope Conſtantiam, in quem Rhenus ab Alpibus Rheticis deuolutus deſcendit & quaſi interquieſcit; inde ſe euoluit Baſileam verſus.

# FONTES.

## FONS.

*Liquenti argento liquidaq́ fluens cryſtallo*
*Fons viridi prato ludit & in violá,*
*Mille trahens animansq́ omni de flore colores.*
*Æmula num terris ver ſibi Nympha facit?*

## RIVVS.

*Anguineo ſyluas per & arua virentia flexu*
*Serpit, & obliquo tramite fallit iter*
*Riuulus, attiguamq́ ſecat breuis arbiter oram,*
*Imo ad vincla ligat vitrea, an v ſq́ ugit?*

## FONS SPECVLVM.

*Inſpexi, illudit natiuo lympha theatro*
*Viua mei, & puro pingit ouans hyalo.*
*I nunc Roma tuos iacta, humida ſaxa, labores,*
*Plura mihi & gratis balnea Nympha dedit.*

FONS

## FONS ATER.

*Lilia caſta, roſamq́; immortalemq́; amaranthum*
*Inceſtat piceis riuus adulter aquis.*
*Flos* hinc malo bibat, cui inuſta querela; nigrante*
*Vt ſatur amne, pari diſcat & ore queri.*
*Viola cui inſcriptæ literę aï, quaſi ſemper lugeat.

## VMBRA SEGETIS AD FONTEM.

*Orta ſolo meſſis, criſpis interuiret vndis,*
*Et viret vmbroſo concolor herba vado.*
*Inde Ceres, hinc Nais aquis ſerit herbida fruges.*
*Sic ſeges vna famem lenit, & vna ſitim.*

## FONS CASTALIVS.

*Qua nemus inter, aquis ludit errantibus amnis,*
*Frondeus & puro ver bibit vnda vado.*
*Sylua canit, dulci virgulta loquuntur in vmbra.*
*Mella dat vnda labris, auribus aura melos.*
Dulciſſimus & in Sylua canora prope Antiochiam in ſuburbano Daphnes ameniſſimo.

## PHIALA.

*Delicias ſibi quiſq; ſuas facit hoſpes in vndis;*
*Hic ſpeculum, ille breui pocula rore bibit.*
*Quid tibi vis donem? Phialam pro fonte propino.*
*Anne merum hinc ſperas? ſobria fundet aquas.*
Fons è quo Iordanis fluit.

## FONS RHODIORVM.

*Nympha ſuos liquente penu dum prouida fontes*
*Paſceret; infudit inuida terra lutum.*
*Stat gemino luſtro cœnum, cui iugis aquarum eſt*
*Copia, tam ſerò cur malè pura lauat?*
Rhodiorum fons in Cherſoneſo octauo anno purgamenta egerit. *Plin.3. cap.5.*

## BAIAE.

*Quære miſer Baias, ægræ ſolatia Romæ.*
*Sulphureâ egelidus fons vbi bullit humo.*
*Si qua coquit peſtis, medico liquor eluet æſtu;*
*Quã prope Nympha calet, tam prope & ipſa ſalus.*

## Vnde calidæ ad Baias aquæ.

*Baias pampineâ vites cinxêre coronâ*
*Queis Nympha in vapido fumat anhela vado.*
*Quis ſcit, an hic ardens ſe lauerit hoſpes Iacchus?*
*Sulphureoq́ue ſuas liquerit amne faces?*

## AQVA SCANTIA.

*Inuitat rapidas auido fons fomite flammas,*
*Qua ſuper ardentes arbor opacat aquas.*
*Nonne times viuam vis decoquat ignea ſiluam?*
*Hic æſtas & hiems ver tibi iuncta dabit.*

Exit flamma ad Aquas Scantias, & hæc quidem inualida, cum tranſit, nec longè in alia materia durans. viret æternò hunc fontem igneum contegens fraxinus. *Plin.2. cap.*107.

## FONS SOLIS.

*Manè tepet, medio ſeſe fons frigerat æſtu,*
*Serò calet, æſtas ignea nocte coquit.*
*Crede mihi, non eſt ſibi ſolis vt nomen adoptet,*
*Qui quo debuerat feruere, Sole gelat.*

In Troglodytis Fons Solis appellatur dulcis, circa meridiem maximè frigidus, mox paulatim tepeſcens ad noctis media feruore & amaritudine infeſtatur. *Plin.2.c.*103.

## FONS DODONAE.

*Eſt prope diſcordes ſe fons vt vertat in ignes*
*Et certè hic animat algida Nympha faces.*

*Pænitet errati; ſua habent & crimina fontes.*
*Vulcanum extinguit, quo parit vnda gelu.*

In Dodone Iouis fons, cum ſit gelidus, & immerſas faces extinguat, ſi extinctæ admoueantur, accendit. Idem meridie ſemper deficit, qua de cauſa Anapauomenon vocant, mox increſcens ad medium noctis exuberat; ab eo rurſus ſenſim deficit. *Plin.2. c.103.*

## NYMPHAEI AQVA.

*Sim lacus an fornax, incertis fluctuo votis.*
*Inde rubet flammis, hinc ſinus albet aquis.*
*Plus tamen albet aquis, liquor omnia & omnia fluctus;*
*Ignis vbi eſt? medio quærit ab imbre faces.*

## APONVS.

*Clara Patauini ſitio miracula fontis;*
*Inſpexi; vapido vertice fumat humus.*
*Lympha calet, calidisq; natat fera ſqualida thermis;*
*Num venit huc lautum? vult pute viua coqui.*

Patauinorum aquis calidis herbæ virentes innaſcuntur, Piſanorum ranæ. *Plin.2.c.103.*

## SALSEDO.

*Muſcoſo caput abde ſpecu, ſatis vndat ab omni*
*Sole ſitis. ſalſus cur liquor ignit aquas?*
*Si ſapis, ignigenam frange, ô bene prouidus vrnam,*
*Abſq; ſale fundit fons ſine fonte ſalum.*

## ALIVD.

*Bullit humo, cumuloſq; vndantis trudit arenæ*
*Nympha ſalax. libo pocula, poto ſalem.*
*Aucta ſitis lympha ſeu fuſo lampas oliuo;*
*Quis credat? medijs deeſt aqua, & vndat, aquis!*

## FONS SILOE.

*Qui modo diues aquis largo fons vbere vixit?*
*Aruit exſangui torrida gleba ſolo.*
*In pœnam vrna tumet. Solymas bello vrier arces*
*Credideram: iratis perdidit vltor aquis.*

Qui diu ſiccus ſteterat, in vſum Romanorum obſeſſis Ieroſolymis largius fons effluxit.

## ALIVD.

*Quos vomit alterno bullantes gurgite fluctus,*
*Ruminat, & refugo flumine Nympha bibit.*
*Sic fons par lacrymis queis pullulat ortus? habenas*
*Dat, retrahitq́ oculus ſiccus & vdus aquis.*

Eſt ad radices montis Sion iugibus aquis, ſed in certis horis diei ebullit & ad antra ſaxi duriſſimi cum ſonitu venit. Eſaias paulo ante mortem, ne Iudæi ſub Ezechia obſeſſi ſiti interirent, à Deo fontem impetrauit, vnde dictus Siloë, id eſt, Miſſus. Vrbe iam capta furtim indigenis ſcaturiebat, hoſtes vero latebat & fugiebat, vti & hodie clàm erepit. ob id Eſaiæ ſepulcrũ apud eum ſitum. *Epip. de vit. Proph. c. 7.*

## FONS IN GERASA.

*Ibat Hymen violâ vinctus; ſed Nympha Lyæum*
*Induit, & puro debibit ore roſas.*
*Luce pari arcanis ſeſe lympha ebriat vuis.*
*Nuptiæ an & Geraſis quas Cana ſtruxit aquis?*

Sexto Ianuarij, quando Chriſtus creditur aquam in vinum mutaſſe Cibyris in vrbe Cariæ, è quo ſe bibiſſe Epiphanius teſtatur, & in Geraſa Arabiæ fonte, eadem horâ quâ miniſtri hauſerunt, aqua vinum ſapit vnde eius fratres biberunt. De Nilo multi teſtantur. *Epiphanius*

## CALLIRIHOE.

*Te medico natura parens bene prouida ſucco*
*Imbuit, & leti fumida buſta petis?*
*Vſq; adeò es demens? ſtygia vt violare ſalina*
*Te properes? miror ſi tua lympha ſapit.*

Fons eſt calidus medicæ ſalubritatis, aquarum gloriam ipſo nomine prẹferens. *Plin.5.cap.16.* Breui ſpatio in Aſphaltitis mare ſalſiſſimum decurrit.

## FONS CICERONIS.

*Largus vt eloquij fons fracta exaruit vrnâ;*
*Feruida de Tulli puluere lympha ſalit.*
*Vnde calor lymphis? nũ Marci ab fulmine & imbri?*
*Fons hic è lacrymis ſaucia Roma tuis.*

## NONACRIS & ALYSSOS.

*Rupe caua leti deſudat frigidus humor.*
*Parte alia in medicam ſtagnat Alyſſos opem.*
*Dequerar indignans? ſtygio quod Nympha veneno*
*Peccat; id innocuis altera purgat aquis.*

Nonacri petra in Arcadia diſtillat στυγὸς ὕδωρ quo alſius nihil; quod æs, aurum, ferrum, & quiduis ſua acrimonia pertundit, præter equi vngulam qua continetur.

In eadem Arcadia fons Ἄλυσσος & gelidus, quem platanus vmbrat efficax contra canis rabidi venenatum morſum & vulnera. *Pauſ. Arc.*

## LYNCESTIS AQVA.

*Inſannum vt domitet fors ſobria cura Lyæum;*
*Ardenti enubit frigida lympha mero.*
*Ritè quidem; ſed quid facies Lynceſtidi Nymphæ.*
*Fonte bibe, & dices, quàm ſapit vnda merum!*

Lyn-

Lynceſtis aqua, quæ vocatur acidula, vini modo temulentos facit. *Plin. 2. cap.* 103. & *Tertul. de anima cap.* 50.

## DVO FONTES.

## Vnus abſorbens, alter reſpuens.

*Reſpuit hic, vorat alter opes fons diſpare fluctu.*
*Cui breue diſcrimen crimina bina parit.*
*Si pax hic: diſcors cur vis inimicat aquai?*
*Sin bellum: concors cur via & orbis habet?*

In Carrinenſi Hiſpaniæ agro duo fontes iuxtà, alter omnia reſpuens, alter omnia abſorbens. *Plin.* 2. *cap.* 103. hodie feruentia. ager Cadima dicitur. Autor ſtirpis regum Luſitaniæ narrat, iumentũ, quo vehebatur, demerſo in eum fontem pede, vix ſe explicaſſe opera duorum comitum.

## Fons è quo oleum.

*Inſpexi vada pura, nitet fons pinguis oliuo.*
*Naiadum gremio Pallas opima ſedet,*
*Palladioſq; ſuper gutto pluit vbere rores?*
*Quid? lympha hac oleum diluo an vngo ſitim?*

Romæ è taberna meritoria, trans Tiberim oleum è terra erupit, fluxitque toto die ſine intermiſſione. *Baron. tom.* 1. *ex Euſebij Chronic.*

## Fontes Tamarici in Cantabria.

*Fonte bibam? an numerem? quoties ſeſe hora fugaci*
*Menſa pede eſt, toties auia Nympha fugit.*
*Sic horas diſtinguit aquis, diſtinguit arenis.*
*Nupta an Clepſammo Clepſydra, & hora latex?*

In Cantabria fontes Tamarici in augurio habentur; Tres ſunt, octonis pedibus diſtantes. In

vnum alueum coëunt vaſto amne. Singulis ſiccantur duodecies diebus, aliquando vicies, citra ſuſpicionem vllam aquæ, cum ſit vicinus illis fons ſine intermiſſione largus. *Plin.* 31. *c.* 2.

## FONS SOLIS IN AETHIOPIA.

*Quà Phaëtontæis incanduit æſtus arenis,*
*Et glabra ieiuno ceſpite ſquallet humus.*
*Fons hîc dulce penu; cornu vomit vbere meſſes;*
*Quas ſibi terra negat, ſufficit vnda dapes.*

Menſa opiparè manè inſtructa reperitur apud Æthiopas.

# FLVMINA

## INDVS.

*Cerno, micans, lucetq; latetq; lapillus in vndis,*
*Et diues vario lumine pingit aquas.*
*Crediderim terris id diſcolor Indus Eois:*
*Quod nimbo cæloq; eſt Iris amœna ſuo.*

Sandus ab incolis appellatus, in iugo Caucaſi montis Paropamiſo, vti Ganges, duodeuiginti recipit amnes; ſed clariſſimum Hydaſpem quatuor alios afferentem. Quadam tamen aquarum modeſtia. nuſquam latior 50. ſtadijs aut altior 15. paſſibus, quodam ſolis comitatu ad occaſum verſus oceano infunditur. *Pli.* 6. *c.* 20.

## GANGES.

*Fuſilis electro caſtiſq; argenteus vndis*
*Frater in æquoreas euoluëndus aquas,*
*Præcipitat, ſubtoq; ſupernatat ardua ponto.*
*Par Nilo vt fuerit, purius arua lauat.*

Huncalij incertis fontibus, vt Nilum, rigantemque vicina eodem modo. alij in Scythicis montibus naſci dixerunt. Influere in eum 19. amnes. Alij cum magno fragore ipſius ſtatim fontis erumpere, deiectumque per ſcopuloſa & abrupta, vbi primum molles planities contingat, in quodam lacu hoſpitari: inde lenem fluere vbi minimum VIII. mil. latitudine, vbi medium ſtadiorũ centum, altitudine nuſquam minore paſſ. 20. *Plin. 6. c. 13.*

## TIGRIS.

*Ocyor & iaculis, & turbinis ocyor alis,*
*Voluo fugam, & volucri flumina fallo vado.*
*Mox vorat atra ſpecus, vorat & lacus impare fato,*
*Quam citò curſus agit, tam cito meta tenet.*

Oritur in Armenia, ſic dictus a celeritate, ita Medi appellant ſagittã. Influit lacũ Aretuſam, omnia illata pondera ſuſtinentem, & nitrum nebulis exhalantem, occurrente Tauro monte in ſpecu mergitur, ſubterque lapſus eius a latere altero erumpit. Decumo ore in mare Perſicum euoluitur. *Plin. lib. 6. cap. 25.*

## EVPHRATES.

*Vndat & extendit gemina diuortia ripa*
*Euphrates, viridi iam mare dulce ſolo.*
*Et facili fundit ſe riuo in vota coloni.*
*Dulce penu * frugum Nympha miniſtrat aquis.*

Oritur in Armenia, Taurum montem primò perfringit; pontis tamen vbi eum expugnat patiens. Dein apud Claudiopolim Cappadociæ curſum ad occaſum ſolis agit. Primo hunc illi impugnatus curſum Taurus aufert; victuſque

& abſciſſus ſibimet, alio modo vincit, ac fractum expellit in meridiem. Ita naturæ dimicatio illa æquatur, hoc eunte quò vult, illo prohibente ire quò velit. *Plin. 5. cap.* 24. Hic, vt etiam Tigris reſtagnat, non tamen limum, vt Nilus inuehit.

## IORDANIS.

*Balnea vis? omni cryſtallum hoc purius auro.*
*Sin potius mauis pocula, crede fauum.*
*Et famulis captiuus aquis ancillor Auerno.*
*Quæ ſcelus omne lauat, cur rea Nympha gemet?*

Oritur è fonte Peneade amnis amœnus, & quatenus locorum ſitus patitur ambitioſus, accolisque ſe præbet velut inuitus. Aſphalitem lacum dirum naturâ petit, a quo poſtremo ebibitur, aquaſque laudatas perdit peſtilentibus miſtas. Ergo vbi prima conuallium fuit occaſio in lacum ſe fundit, quem plures Geneſaram vocant, XVI. m. paſ. longit. VI. m. latitud. amœnis circumſeptum oppidis *Plin. lib. 5. c. 15.* ſub Turcarum nunc imperio.

## BELVS.

*Curre diu, nitidaſque trahe & elue arenas,*
*Lapſus inoffenſo prona per arua pede.*
*Mox Tethis ah vitreas Tyrio vocat æquore glebas.*
*Purpureo an gemmas credidit ire mari?*

Belus è palude Ceradenia a radicibus Carmeli profluit, vitri fertiles arenas paruo litore miſcens, *Plin. 5. cap. 19.*

CYD-

## CYDNVS.

*Perſpicuus campo quà Cydnus oberrat amœno*
*Inuitat epulas, pocla, theatra, choros,*
*Flos Cilicum, Tharſus dulci fluit ebria riuo.*
*Si par Nympha mero, pura quid vua dabit?*

## FLVVIVS SABBATHICVS.

*Certa fides vitreis præceps ruit amnis habenis,*
*Nunc vbi inuſta cauis candet arena vadis.*
*Septima lux reddet curſum. labor improbus vnde*
*Cur violat Solymo Sabbatha culta ſolo?*

Inter Arcas & Raphaneas cùm ſit, quando fluit plurimus, neque meatu ſegnis, tamen interpoſitis ſex diebus à fontibus deficiens, ſiccum exhibet locum. Deinde quaſi nulla facta imitatione, ſeptimo die ſimilis exoritur, idque perenni tenore. Vnde & dictus Sabbathicus. *Ioſephus de bello Iudaic. lib.7.cap.24.* vnde error Plinij deprehenditur, qui Sabbathis ait ſiccari. *Plin. lib.* 31. *cap.* 2.

## PENEVS.

*Quo te quæſo canam plectro pulcherrime rerum,*
*Theſſalis irriguo quem bibit ora ſinu;*
*Et viridi cingit natiua corona theatro,*
*Rex vt Naiadum delicioſus eas.*

Peneus oritur iuxta Gomphos, interq́; Oſſam & Olympum nemoroſa conualle defluens quingentis ſtadiis, dimidio eius ſpatio nauigabilis. in eo curſu Tempe. *Plin. lib.4.cap.* 8.

## HERMVS.

*Spumoſo quà fonte cadit, vernantia muſco*
*Cornua in Ægæas ventilat Hermus aquas,*

*Euoluitq́; arat arua, ſerit, ſtruit vbere limus;*
*Quid facient terræ, ſi parit vnda ſolum?*
Quà in mare erumpit, terram aggerat.

## MAEANDER.

*Nympha redux bibulos leni ſecat agmine campos,*
*Imbelleſq́; fugit prata per vda Phrygas.*
*Anguipediq́; volubilis orbe recurſat in orbes.*
*Semiuiro didicit ab Phryge, credo, choros.*

## PADVS.

*Salue gramminei Italûm viridiſſime campis,*
*Salue ſidereis nobile ſidus aquis.*
*Si pede tam puro fluis hic, quàm cælite campo,*
*Curris in ambroſia ſtellifer Eridanus?*
Eridanus ſignum ſtellatum in cœlo.

## PADVS INVNDANS.

*Fraternas populatus aquas, fluuioq́; ſequaces,*
*Irato Eridanus par tumet Oceano;*
*Vndoſoq́; furens premit Itala regna ſepulcro,*
*Quos ſic perdit agros, vbere ſeruat aqua.*

E gremio Veſuli montis, celſiſſimum in cacumen elati, finibus Ligurum Vagienorum viſendo fonte profluens, condenſque ſeſe cuniculo, & in Forovibenſium agro iterum exoriens, nulli amnium claritate inferior. Græcis dictus Eridanus, ac pœna Phaëtontis illuſtratus. Augetur ad Canis ortus, liquatis niuibus agris quàm nauigiis torrentior; nil tamen ex rapto ſibi vindicans; atque vbi liquit agros, vbertate largior, trecentis m. paſſ. à fonte addens duodenonaginta nec amnes tantum Apenninos Alpinoſque nauigabiles capiens, ſed lacus quoque

que immenſos in eum ſeſe exonerantes, omni numero triginta flumina in mare Adriaticum defert. *Plin. lib.3. cap.16.*

## TIBERIS.

*Torrenti aſſultas expugnaſq; ariete ripas*
*Turbidus. it flauo naufraga Roma mari.*
*An ſcelus hoc Tiberis? ſic barbarus eruit vrbem?*
*Non Latio, at Getico debuit ire ſolo.*

Duobus & quadraginta fluuijs auctus, præcipuis autem Nare & Auiene, qui & ipſe nauigabilis, Latium includit a tergo, nec minus tamen aquis ac tot fontibus in vrbem perductis; & ideo quamlibet magnarum nauium ex Italo mari capax, rerum in toto orbe naſcentium, mercator placidiſſimus pluribus prope ſolus, quam ceteri in omnibus terris amnes accolitur, aſpiciturque villis. Nulliqúe fluminorum minus licet incluſis vtrinque lateribus: nec tamen ipſe pugnat, quamquam creber ac ſubitis incrementis, & nuſquam magis aquis quam in ipſa vrbe ſtagnantibus. Quinimo vates intelligitur potius ac monitor, auctu ſemper religioſus verius quam ſæuus. *Plin.3. cap.5.*

## RHODANVS.

*Grande ſonans Rhodanus ſumnis de mõtibus amnes*
*Precipitat, ſtrepero ſaxa per aſpra freto.*
*Horriſonoq; furens ruit agmine in æquora, cæcis*
*Quis furor hic Nymphis ocyus ire mori?*

A Rhoda Rhodiorum dictus; multo Galliarum fertiliſſimus amnis, ex Alpibus ſe rapiens, per Lemanum lacum ſegnemq; deferens Ararim,

nec

nec minus ſeipſo torrentem Iſaram & Druentiam, tergemino in mare euoluitur oſtio.

## ARARIS.

*Vitiferos inter colles, & prela Lyæi*
*Tranquillo ſerpit fonte volutus Arar.*
*Qui ſimul ac ſoſpes Rhodano bibit ebrius amnem,*
*Cæret vt ille furens, ebria it vnda mero.*

## LIGERIS.

*Liligeros inter Ligeris pulcherrimus amnes*
*Vitea pampineis arua maritat aquis.*
*Liquenti hic hyalo num lauit Nympha Lyæum?*
*Certe ardens gelido temperat amne merum.*

## GARVMNA.

*Flauentes diffunde comas hyaloq́ virentem*
*Adde peplum, ac viola pinge Garumna caput.*
*Et dic, pampineis quot vitea crinibus errant*
*Flumina, tot Nymphis fundo meri maria.*

## MOENVS.

*Fraternis cumulandus aquis hic ſiſte fugaces*
*Rhene rotas, cyanis Mœnus aderrat equis,*
*Fratris adoptiuo quo creſcas munere, perdit*
*Se Mœnus vitreo funere; Rhenus erit.*

## VAHALIS.

*Huc vſq; æquato Rhenus pede labitur anceps,*
*Scinditur, vt ſalſas lambere cœpit aquas.*
*An bifido hæc credis Rheni diuortia ramo?*
*Dic oculos, lacrymas haurit vtrimq́ ſalo.*

## Fluuius argenteus Marignonus.

*Non mihi decertet Phaëtontias vnda, nec Iſter,*
*Iſter Pannonijs aurifer hoſpes agris.*

*Argen-*

*Argento vrna micans, vel flauens gleba metallo*
*Si tanti; argenti quid mare diues erit?*

Scatet tota ferme Braſiliæ plaga fontibus ac ſyluis & amnibus inclytis: e quibus (vt reliquos taceam) is quem argenteam vocant, leucarum 40. oſtio in mare fertur, adeo violentus, vt inde nautæ dulces hauriant latices, priuſquam tellurem ex alto conſpiciant. *Maffeus lib. 2. hiſt. Indic.*

## DRAVVS.

*Quò liquidi te Draue pedes? quo curſus? ad Iſtrum*
*Rura per ac vrbes irreuolutus abis.*
*Te tamen ille ſuum ſecurus adoptat alumnum,*
*Pro tenui Drauo, nobilis Iſter eris.*

---

# ROMA.

## ROMVLVS EXPONITVR.
## Ad Amulium.

*Tun' ſcelus infida ſpem Romæ exponis in vlnas?*
*Vota cadent aliò, Roma reſurget aquis.*
*Improbe quem perdas, lupa ſeruat alumna nepotem,*
*Verte vices; facta eſt hæc homo, & ipſe lupa es,*

Multi de hac hiſtoria dubitant, aiunt enim Lupam Larentiam dictam.

## ROMAE MAIESTAS.

*Pyramidas, Circos, Capitolia, Templa, Coloſſos,*
*Amphiteatra, domos, balnea, naumachias,*
*Purpureoſq; Patres diuûm genus aſpice, dices,*
*Par vrbs hæc cælo, cur agit exul humi?*

Vella

## Vela ſtellata in Theatro.

*Lude licet, tuto ſpectabis Roma theatro,*
*Cerula ſtellanti carbaſa nube tegent.*
*Dic cælum id velum. fuluis nonne emicat aſtris?*
*Si polus hic, vmbram cur ſua ad aſtra facit?*
Sic Nero theatrum intexuit.

## TRAGOEDIA.

*Infœlix tragico baccharis Roma theatro,*
*Oedipodionium læta iterare ſcelus.*
*Quid? tibi deliciæ crudeli in cæde Thyeſtes?*
*Cui furiæ ludus, plus furor iſte furit.*

## CIRCVS
## Ad Romam.

*Quæ teres aurato ſurgit tibi pyramis ouo,*
*Anxiaq; effrænis feruet arena rotis.*
*Nolo tuam huc victrix aduertas Roma quadrigam:*
*Puluis & vmbra tui meta laboris erit.*

## Prætor Circenſium Præſes.

*Quàm properat ſonipes animoſus, & exit habenas;*
*Tam properas animo velite, & ore ſequi.*
*Annuis, exclamas, geſtis, applaudis & vrges,*
*Non ſpectas; circo curris; & vſq; ſedes?*

## ARENA.

*Vſq; adeò ſæuo te Mauors efferat œſtro:*
*Humano vt ludas ſanguine dulce nefas?*
*Ludus an id crimen? magnum furis ægra furorem:*
*Nonne furor ludo ſeriò velle mori?*

## Fontes aërij per aquæductus.

*Aërio vidi pendentes flumine riuos,*
*Quà vix æripedes nubilat Iris aquas.*

*Vnde leues alæ Nymphis? quas perdidit vndis,*
*An dedit his pennas Icaris ala ſuas?*

MOLES AD OSTIA.

*Quid non inſano luxus ſtruit improbus auſu?*
*Montes vertit aquis, & freta vertit humo,*
*Oppoſitiſq; fremens caſtigat molibus æquor.*
*An nouus inuerſo Cæſar in orbe Deus?*

AQVA MARTIA.

*Quà lices aëriæ vitreo pede currite Nymphæ;*
*Saxeus audaces euehet arcus aquas.*
*Ardua Roma iubet, terras quæ vicit & æquor:*
*Molle pati docuit aſpera ſaxa iugum,*

AD ROMANVM.

*Saxea pila ſuis defraudat fluctibus æquor,*
*Anguſtatq; nouo cærula regna ſolo.*
*Latius vt regnes, an non ſat terra ſepulcro,*
*Quem pede ſepteno gleba maligna teget?*

DRACONES IN SIGNIS.

*Fulmineas inter volucres tauroſq; minaces,*
*Territat hoſtiles ſibila turba globos.*
*Et tu Roma time: tuus en draco militat hoſti,*
*Nonne vides aquilis monſtra inimica tuis?*

AQVILA.

*Itala pila Iouis pennata ſatelles in auro*
*Incubat; hoc fulmen Martia Roma tuum.*
*Quæ Troiæ ardenti Troia es rediuiua ſepulcro,*
*Buſticremus Phœnix plus tua ſigna decet.*

Roma à Romanis perit.

*Ne quid non victum foret; illa tot aucta trophæis*
*Roma cadit, Latio parua fauilla ſolo.*

*Nec ſic victa quidem Romanis occubat armis.*
*Abs ſe ſic vinci, vincere penè fuit.*

## BELLA CIVILIA.

*Occubui Æneadum duro colliſa duello,*
*Armauiq́; Italas in mea buſta faces:*
*Sit ſcelus, at decus in ſcelere, & mors æqua triumpho.*
*Roma manu vinci nobiliore nequit.*

## CAMPI PHILIPPICI.

*Pharſalis Auſonias frangit rurſum haſta ſecures;*
*Et rurſum Æmathio puluere Roma cadit.*
*Credo ſuum Macedûm tellus imitatur alumnum;*
*Hic orbem; illa Vrbem vicit & orbis heram.*

## Iterum.

*Barbara luxuriat Romano ſanguine tellus.*
*Qua cecidit, rurſum Roma recumbit humo.*
*Oenotrio en iterum gleba Æmathis ebria tabo.*
*Nunc & de Roma funere ſanguis abit.*

## STRAGES AD MVNDAM.

## Ad Romam.

*Heſperiis exul Munda ab occumbis arenis?*
*Quam procul Heſperio Roma ſepulta ſolo!*
*Ne Latio potius premat Italis vrna ſepulcro.*
*Grande caput mundi quis niſi Munda tegat?*

## Ad Actium pugna naualis.

*Europamq́; Aſiamq́; pari committit arena*
*Mars nouus; an Graium Martis arena fretum?*
*Veliuolo in curru vndiuagam nunc pinea Romam*
*Sylua vehit, vbi nunc Tibris & Heſperia?*

ROMA.

## ROMA QVERITVR.

*Itur ad arma, iterum Mauors ſuperintonat vrbem,*
*Quæ iacet informi flebile funus humo.*
*Rurſus Hyperboreo turbo alter ab axe ruinam*
*Diruet? vmbra mei rurſus an apta mori?*

## BELISARII EPISTOLA ad Totilam.

*Nunc Scytha pro Tanai Tiberim poturus & Arnum*
*Hoſtili exſcindit ardua tecta manu.*
*Littera curta venit, ferrum placauit & ignes.*
*Ne cadat vrbs, vno tota ſtetit digito.*

Beliſarij epiſtola vrbem ab ſecundo liberauit incendio.

## AD ATAVLPHVM.

*Barbarus abruptis orbis diſſedit habenis;*
*Tot membra vrbs iunxit vnica Roma caput.*
*Et diram euibras nunc Romæ in colla ſecurim?*
*Parce: aut trunca caput terra cadauer erit.*

Volebat Romam prorſus dirui.

## ROMA AD MARTEM.

*Cælituum attonitas vrbs triſte quiritat ad aures:*
*Barbarico occumbet Martia Roma rogo?*

## MARS AD ROMAM.

*Quid prohibet Geticis tranſſcribi regna trophæis,*
*Roma mihi neptis, ſed Geta gnatus erat.*

## INCENDIA.

*Vt toties vidit Sol magna incendia Romæ,*
*Ardentiq́; nouum fulgere nocte diem;*

*Ergon',*

*Ergon', ait, magnis Dea nunc vrbs æmula Diuis,*
*Aſtra dabit cælo, quæ dedit ante * Deos?*
* Auguſti relati in diuos.

## ROMA AD SOLEM.

*Quid geminas radios Sol flammâ ambuſtus & irâ?*
*Aureaq; aprico puluere tela iacis?*
*Pro radio pluuios duc Roma in funere fletus.*
*Solis delicias nimbus & orcus habet.*

## TIBERIS ELVVIES.

*En fluctus vbi Roma fuit. modo ſplendida Diuûm*
*Atria, nunc ſubito cærula ſtagna freto.*
*I nunc & ſeras fato torrente ruinas*
*Sæcla time: mundi ſi caput horâ ruit.*

## ROMA AD TIBERIM.

*Ah Tiberi? vndoſo quatis & ruis ariete Romam,*
*Cui priſca toties laurea adumbro caput?*
*Quis furor o Nymphæ Tiberinides? anne triumphis*
*Æneadûm, an lacrymis vrna ſuperba tumet?*

# VRBES.

## BYZANTIVM NOVA ROMA.

*Fœcundo ſenio iam iam moritura ſecundam*
*Vrbs vrbem peperit; orbis & illa caput.*
*Vin' decus antiquum? Romæ id metire fauillâ,*
*Vrbs fuit hæc, orbem quæ peritura parit?*

## AD CONSTANTINVM.

*Concordes aquilas & non violabile ſceptrum*
*Diuidis Ionioq; Auſonioq; freto.*
*O par infelix! Solem hæc colet, altera Lunam.*
*Hæc aquila, illa myops noctua & hoſtis erit.*

Roma

Roma Byzantiũ tranſtulit præcipuos Senatores Conſtantinus Conſtantinopolim condens.

## VENETIAE.

*Quære fugam, iratis obnoxia Roma procellis;*
*Te cyano inuitat Adria Nympha ſinu.*
*Nereïdum hic regnum terram ſi perdita perdis,*
*Roma parens: pro te Gnata triumphat aquas.*

Venetiæ a Romanis fugientibus conditæ vt quidam volunt.

## VENETVS MARIS DOMINVS.

*Inuehitur magnâ gens Romula Bucentauro;*
*Et domito inſultant caſtra togata mari.*
*Sic Romæ vndiſonas Nereus ſubmittit habenas.*
*Romana in Veneto nomine ſceptra colit.*

## NEAPOLIS.

*Quidquid auara negat noſtro natura theatro,*
*Aut pelago, aut terris, crede nequiſſe dari.*
*Ver hic perpetuum, pax his ſedet aurea campis,*
*Dic cælum & fruges ſidera odora meas.*

## FLORENTIA.

*An cuiquam eximios Florentia cedat honores,*
*Ver cui dat vitreis diſcolor Arnus aquis?*
*Eſt, quod erit flos veris honos, decus orbis, ocelluſq;.*
*Et Sol Auſonidum; ſed cui nimbus abeſt.*

## OLYSSIPPO.

*Quidquid Hydaſpæis euerrit Medus arenis,*
*Diuiteq; euoluit Indus vterq; mari.*
*Aurifero id decus omne Tago, & dos gẽmea in auro,*
*Quanta es Olyſſippo, tota corona Tago es.*

HISPA-

### HISPALIS

*Quidquid terra ſinu parit vbere, & educat æquor,*
*Quæ Tethis inuiſit Solis vtramq́; domum,*
*Hiſpalis vna capit, anguſtum reddidit orbem,*
*Hâc, licet immenſus, vult minor vrbe capi.*

### CAFFA.

### Græciæ querela.

*Quæ quodam Auſonio generoſa colonia ſceptro,*
*Caffa iubar Ponto, iam ſine luce fretum.*
*Nunc vbi tuta meis occurrent litora velis?*
*Portus vbi pontus, naufraga Scylla Pharos.*

Olim Theodoſia dicta Genuenſium Colonia; nunc ſub Turcarum imperio.

# BVSTA VRBIVM.

## QVAESTIO AD SATVRNVM.

*Quos vix dena ſtruunt ingentes ſæcula muros,*
*Hora repens rapidis ſubruit vna rotis,*
*Num breue momentum milleno fortius anno?*
*Et maius toto pars ſua pondus habet?*

### ASIA.

### Taxila regia Pori.

*Hæc ego, ſi neſcis, pulcherrima Reginarum,*
*Solis deliciæ, terrigenûmq́; decus.*
*Nunc teres herba ſolo, quid non vis audeat æui?*
*Grande caput Gangis, bos pede & ore terit.*

### BABYLON.

*Iam nuſquã Babylon, nuſquã ardua nomina turres,*
*Aut certè hîc altis luſtra vel vmbra feris.*

*Quam*

*Quam ferus haud æquis † venator condidit armis,*
*Quid niſi venantum regia * ſylua foret?*

† Nemrod. * Tempore D. Hieronymi erat venaticus ſaltus Perſarum Regibus.

Chaldaicarum gentium caput, diu ſummam claritatem obtinuit in toto orbe; propter quam reliqua pars Meſopotamiæ Aſſyriæque Babylonia appellata eſt, ſexaginta millia paſſuum amplexa muris ducenos pedes latis, quinquagenos altis, in ſingulos pedes ternis digitis menſura ampliore quàm noſtra, interfluo Euphrate mirabili opere vtroque. Durat adhuc ibi Belli Iouis templum. Inuentor hic fuit ſideralis ſcientiæ, cætero in ſolitudinem rediјt exhauſta vicinitate Seleuciæ, ob id conditæ a Nicatore intra nonageſinum lapidem, in confluente Euphratis foſſâ perducti atque Tigris: quæ tamen Babylonia cognominatur, libera hodie ac ſui iuris, Macedonumque moris. feruntei plebis vrbanæ DC. M. eſſe; ſitum vero mœnium aquilæ pandentis alas: agrum totius Orientis fertiliſſimum poſſidet. *Plin. 6. cap. 26.*

## SELEVCIA & CTHESIPHON.

*Volue Semiramias, rurſumq; reuolue ruinas,*
*Informi euolues oppida plura ſolo.*
*Quantus honos. Babylon iam ter rediuiua ſepulcro,*
*Quæ toties ſurgit? vrbs potis iſta mori?*

Seleucia, Ctheſiphon & Vologeſocerta, è ruinis Babylonis conditæ.

## SELEVCIA.

### Babylon loquitur.

*Vt cecidi, immotis aſſurgo ſuperba ruinis.*
*Altior illuſtri funere creſcit honos.*
*Quo ſteterim ſolio, tumulo id metire. fauilla*
*Parua mei Eoï nunc caput orbis erit.*

Caput regni Parthici.

## CTESIPHON

### ad Romam.

*Concepit Babylon, peperit me clara Seleuci*
*Filia. de gemino funere tollo caput.*
*Viſa capi, capiet profugi te regia Parthi,*
*Teq́ pari, vt Parthus, vincet & illa fugâ.*

Vlterius Romanis vetitum progredi, neſcio quo fato.

## NINVS.

*Vulnera priſca dolor crudum reſcindit in vlcus,*
*Et cineres vrunt altera buſta meos.*
*Ibo perenne mori? Sol ſi Ninos alter Eoo;*
*Cur vt Sol oriens nulla reſurgo ſolo?*

Sæpius euerſa.

## PERSEPOLIS.

*Eloquar? obſcœnis Cyri ardua regia tædis*
*Vritur, vſta pari Perſica gaza rogo.*
*Auſa nefas mulier, quam probra vſſere parentum.*
*Cur lanam puduit? cui ſine fronte caput?*

Thaïs meretrix vltura Græcorum clades & incendia ſub Xerxe Perſarum regiam incendit, annuente & pæne iubente Alexandro Curtius.

## SVSA.

*Ludit honos vano male credula lumina ſpectro;*
*Quæ modò crediderat lilia, * Suſa cinis.*
*Improba fax vſſit. lacrymas cur Perſa fauillæ*
*Impluis? è puro vin' tibi flore lutum?*

* Suſa ſignificat lilium.

## ECBATANA.

*Tot mundi exuuijs opulens, & cincta trophæis,*
*Sueta triumphales voluere ad aſtra rotas.*
*Nunc ingens vrbs tanta probrum! prò crimina fati!*
*Qui decus augebat, dedecus auget honos.*

## HIOCANIA.

*Quæ caput attiguo pepulit contermina cælo,*
*Tempora quid faciunt inuidioſa? fuit.*
*Quàm breue nunc punctum? Cyri de Perſide gaza*
*Quæ ſtetit ingenti gloria nixa globo.*

Metropolis in Perſide.

## SAMARACANDA.

### Scythia loquitur.

*Quæ ſtabat Scythicis quondam aurea ſylua trophæis*
*Samaracanda, breui ſub pede ceſpes humi.*
*Quo minus hic buſtum eſt, tanto amplior exit & vndat*
*In cladem ac lacrymas area & vrna meas.*

Tamerlanis regia.

## BACTRA.

*Nunc vbi centenis incumbunt templa columnis?*
*Nunc vbinam ſceptris ſceptra renexa meis?*
*Exili teres herba tegit ſub puluere, & arbor.*
*En quo tot belli præmia; Bactra ſolum.*

TIGRA-

## TIGRANOCERTA.

*Surgere vix cœpi, & tumulo latus inclinandum,*
*Hei mihi! nox tantum ſuſtulit vna iubar.*
*Nempe imitata ſuum Tigranocerta parentem.*
*Alta ſolo ſtaret, cui caput occubuit?*

Tigranes, vinginti & duorum regnorum dominus, eam condidit; quem victor Pompeius cepit, & magna ditionis parte ſpoliauit.

## ARTAXATA.

*Grande prius nomen patrijs Artaxata regnũ,*
*Nunc breuis externo fama vel vmbra ſolo.*
*Sceptra, trophæa, duces, nunc vna fauilla per auras.*
*Pondera quæ tellus vix tulit, aura feret?*

Corbulo hanc euertit.

## EDESSA.

*Arabicis deſæuit hiems furiata procellis.*
*Hortulus intacta floruit vnus humo.*
*Flos abit in glaciem: nox ferrea inumbrat Edeſſam,*
*In fletum Eoi ſolus ocellus abit.*

Capta a Saracenis anno 1145. dicta Rohaïs. diu a Chriſtianis poſſeſſa.

## SIDON.

*Iam Tyrus & Sidon (quid non Rex falcifer auſit?)*
*Non obſcura prius nomina, bulla mari.*
*Et quis purpurei venatur inania honoris?*
*Nunc ſi venatrix purpura & ipſa nihil?*

Sidon artifex vitri, Thebarumque Bœotiarum parens. *Plin.* 5. *cap.* 19. nobilis conchyliorum & muricis capturâ.

## TYRVS.

*Vt Tyrus in cinerem, tenuesq́ euanuit auras:*
*Alter Idumæo detonat axe fragor.*
*Et nihilum hoc Scythico fumo Mars perdit & vrit,*
*Spes ſuper ecqua Tyro, ſi Tyri & vmbra perit?*

Tyrus quondam inſula, præalto mari ſeptingintis paſſibus diuiſa; nunc vero Alexandri oppugnantis operibus continens, olim partu clara vrbibus genitis, Lepti, Vtica, & illa Romani Imperij æmula, terrarũ orbis auida Carthagine; etiam Gadibus extra orbem conditis. Nunc eius nobilitas conchylio atque purpura conſtat. Circuitus 19. m. paſſ. eſt. intra Palætyro incluſa. oppidum ipſum 22. ſtadia obtinet. *Plin. 5. cap 19.*

## IEROSOLYMA.

*Hæc ego, ſed quondam, ſoli Sol alter Eoo,*
*Mars cui lauricomis fronduit vltor equis.*
*Nunc fumus ſine lege, & nunc ſine lege ſepulcrum,*
*Funeribus ſepelit buſta ruina meis.*

## SODOMA.

*Flamma tenax æui piceo natat vſq; ſepulcro,*
*Ignitomeq; coquit naufraga buſta mari.*
*Tot poſt ſtagna rogus? tot poſt incendia fluctus?*
*Ignibus ignis abeſt; & mare id abſq; mari.*

Etiamnum fumat.

## THARSVS ad Cydnum.

*Venit ſumma dies; ſedet inconcuſſa ſupremo*
*Meta roge, vt cecidi fracta, perenne cadam.*

*Cydne pater, tantas tun' ſicco flumine flammas?*
*Nec tumet ah! lacrymis auctior vrna meis?*

SARDIS.

*Longæuis tabeſco malis, ſine funere funus*
*Duco ſepulcrali nata renata rogo.*
*Occido, & vſque nouis ſors obruit hauſta ruinis,*
*Tam larga in clades, quàm modò diues opum.*

Opulentiſſima Lydorum & Crœſi regia.

XANTHVS.

*Vix tepidum ambuſto ſiccaui in puluere fletum:*
*Hei mihi! fons calidis alter inundat aquis.*
*Nunc iterū ac iterū Xanthos rubet igne, quod ardens*
*Troia ſuo Xantho; ter ſibi Xanthus erit.*

Ter perijt incendio, vti Troia ter capta equo.

MYRA.

*Arſit, & ardebit ſalſo male naufraga fletu*
*Myra, procelloſo myrrha voluta mari.*
*Ah! tibi ne liceat tantum ô mors impia crimen,*
*Cur in amara maris maior amaror eat?*

SMYRNA.

*Ionio in magno pulcherrima Neptunine*
*Smyrna, mari* myrtus, nunc ſine ſole cinis.*
*Quot mare Smyrnæis fluctus aduoluet arenis,*
*Tot Nerei lacrymas littora nuda bibent.*

* Σμύρνα, id eſt *Myrtus.*

PHOCÆA.

*Te ſpectem Phocæa? oculos dolor auius atro*
*Depulit in nubes, it ſtilus in gemitum.*
*Occidis Heſperio tot quæ paris oppida ponto.*
*Mors vna ah vrbes quot dedit vrbe mori?*

Mater plurimarum colo[illegible]arum.

TROIA.

*En Troia hic campus qui plurimus oſſibus albet,*
*Qua viret Ida iugo denſa cupreſſifero.*
*Quantum oculi fallunt! Aſiam Mars credidit orbem,*
*Vix gleba eſt, iſto ceſpite tota iacet.*

ATHENÆ.

*Curua Pyræo lenti vis abſcidit æui*
*Brachia, Munychiæ iam ſine luce ſalum.*
*Ac breue gramē humi decora alta, & cāpus Athenæ,*
*Attica ſuada merum rus vel in vrbe facit.*

---

# AFRICA.

BVBASTIS
Queritur.

*Ille ſuperbarum tumidus Regnator aquarum?*
*Qui nigro oblimat Iſidis arua luto.*
*Bubaſti vt buſtum vidit, ſe vertit amarum*
*In flumen, lacrymis Nilus it vrna meis.*

ALEXANDRIA.

*Diues odoratas miſit Panchaia meſſes,*
*Influxit Pharias Rhenus & Indus aquas.*
*Quod non hic, nuſquam eſt, magnæ hic ſoror æmula Romæ.*
*Sed fuit vrbs, abijt; vix locus vrbis erit.*

CARTHAGO AD TETHIM.

*Scribe vagis vaga Tethi meum iam nomen arenis,*
*Byrſa cinis, Siculis Æole ſcribe fretis.*
*Scribe, leui volitat Carthago in puluere quis ſcit,*
*Punicus Heſperia puluis an vrbe ſedet?*

Rebus Pœnorum a Romanis acciſis, iuſſi Carthagines ſolum vertere. verſo in audaciam metu, clypeos centum omni diè, enſes trecentes, catapultas mille, ſagittas, iacula & lanceas quingentas fabricant cuduntue. Eſt autem Carthago vaſto in ſinu & magno ſita ſimilis Cherſoneſo, in qua Byrſa & vicina loca triplici muro incluſa, quorum quilibet altus 30 cubitos turribus & propugnaculis exceptis, quæ duobus tectis aſſurgunt; & ipſe quidem concauo inferius 300 ſtabulantur elephanti cum horreis & pabulo, adiuncta dein ſtabula equorum quæ 4 millia facilè capiunt. Præterea habitationes ad peditum 20 millia, equitum verò 4 millia. hi apparatus belli tempore in muris continentur. *Appian. Libyc.* Capta a Romanis 18 dies arſit. *Florus.*

## VTICA.

*Pone manu gemmas, prætextam pone, curulem,*
*Verte thorum, pulla ſordida Roma toga.*
*Gnata cadit leto, magnum cadit Vtica nomen.*
*Italis ah Libyco litore Roma perit.*

## RVSPA.

*Bella noti pelagiq; Afrum frangentia litus.*
*Pallebam, ab terris, hei mihi! fluctus ijt.*
*Ignetus illo, auidis vndat nunc omnia flammis.*
*Quid iuuat vnda ſalo, ſi mare & ignis habet.*

## CIRTHA.

*Quos ſpectas cineres & buſta ſepulta fauillis,*
*Hos Cirtha eſt, nuper regia clara fuit.*

Quod

*Quod cælo Phaëton, Mauro id Mars impius aruo.*
*Hic flammis, radio fulminat ille ſuo.*

## HIPPO.

*Hippo cadit, viduis vel ſaxa moueret in vndis,*
*Mouit adhuc querulo litore, ſaxa gemunt.*
*Vrit & aſtra dolor Libyæ indignata ruinas.*
*En Phaëthontæa Sol face torret agros.*

## TRIPOLIS.

*Relliquias laceras truncat mors artubus artus;*
*Nil reliquum, nil hoc attamen vnca rapit.*
*Per partes toties ardenti extincta ſepulcro.*
*Heu nullo occumbo tota ſepulta rogo.*

## FESSA.

*Vrbs ego? Cnyphijs dic mundi mundus arenis,*
*Quem cingunt auido mœnia vaſta ſinu.*
*Stare nefas ſummus altas Mars ſubruit arces.*
*Ah punctum & puluis turriger orbis erit.*

---

# EVROPA.

## GRAECIA SVB TVRCA.

*En qui magnus Auûm ſolijs agnaſcitur hæres,*
*Quot modo ſceptra tulit, verſat aratra manus;*
*Ah bos ille bipes quot ducit vomere ſulcos,*
*Tot ſibi ſub ſtimulo vulnera arandus arat.*
Arant boum inſtar homines.

## Byzantium captum a Turca.

*Arma viri, arma viri, ſed nullus ad arma. ſalutis*
*Nullus amor; Pluti feruida cura coquit.*

*Seruari potuit vrbs ferro, maluit aurum.*
*Par Marti armato Plutus inermis erit?*

## Auaritia Byſantium perdit.

*Ferri cura iacet, mens omnis & omnis in auro*
*Feruet amor. cæcas abdit auarus opes.*
*Et tonat ad muros hoſtis. quam Græcia demens!*
*Emit inops auro ferrea ſecla ſuo.*

Maluerunt obſeſſi condere opes, quàm in vſum belli expendere.

## Pidna.

*Hic quà ſerpit hians vnco ſub vomere ſulcus,*
*Et viret impranſo tonſile gramen equo;*
*Pidna ſuo nunc aruus ager carcerq; nepoti?*
*Hic homo captiuo pro boue taurus arat.*

## Syracvsae.

*Fulmineo in nimbo tempeſtas ferrea terris*
*Intonat, ardenteſq; vndat in aſtra globos.*
*Crinacria heu Libycâ Mars flamâ extinxit ocellum.*
*Vna fuit, Siculo bina ſtat Ætna freto.*

Syracuſas diripuere & euertere Saraceni ex Africa.

## Capva.

*Immenſi hic tractus, & quondam imitantia Romam*
*Mœnia; nunc breue quid, parua quod vrna capit.*
*Vrbs Capys hoc cãpo? magna hic diua æmula Romæ?*
*Quàm parua ingentis funeris oſſa iacent!*

## Vvlsinivm.

*Vulſinij exciſi fuit hoſtis in hoſpite. tanti*
*Cauſa mali, populus ſaxeus ille virûm.*
*Et lapis eſt, qui ſic animat in bella Quirites?*
*Plus nimium in clades viuit imago meas.*

Vulſinos bello Romanus appetit vt tria ſtatuarum millia inde ſibi aſcribat.

## SAGVNTVS AD ROMAM.

*Cæca Saguntinis Mauors incendia flammis*
*Conflat, ab Heſperio iam quatit orbe facem:*
*Et tu Roma ſedes? neſcis improuida, neſcis*
*Quot tibi de noſtro funere buſta flagrant?*

## AD NVMANTIAM.

*Heſperio ædificat bellum gens Martia campo.*
*Obſidet vrbs vrbem, mœnia & hoſtis habet.*
*Te noua Roma ſuis cingit Numantia muris;*
*Hoſtis an hoc odium? num mage ciuis amor?*

Scipio muro circumducto, & ad aliquot annos infeſſo a Romanis, obſedit.

## AGRIGENTVM.

*Quæ modo ſtellanti Cœli inuidioſa theatro*
*Vrbs ſtetit, informi nunc iacet vmbra ſolo.*
*Vis belli aſpra tulit, crudo plus ſæua tyranno.*
*Anne etiam & Phalarim Mars ſceleratus agit?*

Olim ibi ſeptinginta hominum millia diu preſſa Phalaridis tyrannide.

# HORTVS ADONIDIS.

## Sectus in tres Areolas.

## HOMINIS VITA

### NASCENS PLORAT.

*Vix cum lacte rudes infantia ſerpit in annos,*
*Docta queri, & luctus nubila ſecla legit.*
*Quid ſapit ante diem fati mens conſcia: vitæ*
*Qui vix tiro, vetus num puer aſtrologus?*

### FVGACITAS AD HOMINEM.

*Auctumnũ vrget hiems, rapidũ ver opprimit æſtas;*
*Alternoq; redux currit in orbe dies.*
*Omnia curſus, iter, labyrinthus & error in orbem.*
*Et volucri perſtas ceu ſtata meta globo?*

### FALLACIA.

*Nos labor, ira, furor, luctus, mors, cura, tumultus,*
*Pocla, chorea, ſales, teſſera, ludus habet.*
*Hinc illæ lacrymæ. vitæ ò quam fallit imago!*
*Nos mala vera, iubet gaudia vana pati.*

### LABOR & SOMNVS.

*Mancipium commune necis vitæq; tyranno*
*Sub gemino, æterna cum cruce viuit homo.*
*Nunc labor vrit, iners nunc vrget ſomnus, vbiuis*
*Raptor. vterq; iubet viuere, vterq; mori.*

### ALTERNA QVIES.

*Otia nunc curis, nunc verte negotia ludo;*
*Sol vt nocte diem; ſeria verte ioco.*
*Sæpe mori libeat; nox ſomno ſoſpitat æuum.*
*Quæ perit interdum, ſe ſibi victa parit.*

SOM-

## SOMNVS.

*Dulce natans oculos vdis aduerberat alis*
*Somnus, hiems pectus, nox habet alma caput.*
*Senſus abeſt, abſit; mors vitâ an dulcior hoſpes?*
*Quò plus hic leti eſt; hoc mage læta quies.*

## DIRVM SOMNIVM.

*Vror, & id ſomno. ſomnum quis dicere curam*
*Audeat vrentem, dos cui blanda quies?*
*Vror? & id ſomno? è nihilo quot parturit ignes?*
*Hei mihi cur verus ſomnia vana dolor?*

## SOMNIVM.

*Tu nihil, & nihilo fingis quos neſcio mundos,*
*Et ſubito furuis auehis exul equis?*
*In nihilo mendax. quid dona tot improbe perdis?*
*Vis vno è nihilo ſomne bis eſſe nihil?*

## SOMNIA.

*Oſcula languidulis ſopor humida libat ocellis,*
*Genua labant, dulci glutine ſigno genas.*
*Sed dira obturbant mendaci ſpectra theatro.*
*An ſomno inuigilat irrequieta quies?*

## DESIDERIVM IMMODICVM.

*Vdus vter vento, flammæ cinis, vrna dolori,*
*Follis hians, leto victima, bulla mari.*
*Puluis homo & vaſto mundũ ardet, & haurit hiatu;*
*Tantilla immenſum num mare arena capit?*

## AMOR.

*Nolo metu pendere, trahi ſpe nolo, futuram*
*Cur ego nunc mortem viuere ſtultus amem?*
*Labenti propior quàm ſtanti viuit; ab alto*
*Cui premit æternò cæca ruina caput,*

### PROCRASTINANS.

*Cras ceu coruus hias. vt craſtina venerit hora;*
*Cras aliud trudis. ſecla futura trahis:*
*Sic nunc cras perdit hodiernæ gaudia vitæ:*
*Quis credat? hodie craſtina vita fuit.*

# AREOLA II. CORPVS.

### AVRIS.

*Hic tudes, hîc incus ſedet oſſea; vt aduena ventus*
*Impulit, impulſu tympana ſurda ſonant.*
*Quis faber aure? ſonus. quod opus? ſonus & ſonus icit*
*Tympana; an è fabro eſt tympanotriba ſonus?*

Oſſicula imis in auribus ſpecie malleoli & incudis incluſa membranæ, ceu tympano, aëris appulſu ſonum excitant.

### ARANEA TVNICA.

*Reticulum tereti quid texis aranea filo?*
*Tam teneras perdet muſca vel vna plagas.*
*Corneolo malim prætexas lumina velo;*
*Ne cadat imbrifero clauſa lucerna noto.*

In oculis tunica tenuiſſima.

### NASVS.

*Eſt mihi vita tubæ, bifido ſonat Æolus antro.*
*Ac pluit hinc. pando fœda lacuna ſpecu.*
*Et vapidi hîc pincerna meri prægustat odores?*
*Cur vbi odor; ſemper ventus & imber agit?*

### PVLMO.

*Pectus anhelanti ventoſus Pulmo flabello*
*Ventilat, incluſas temperat aura faces.*
*Quis furor hic animæ? reſtinguam incendia vento?*
*Plus animabo, animus nonne flabella rogo?*

Lacry-

Lacrymæ inuito emicant.

*Iniuſſæ exiliunt lacrymæ. vis nulla, nec vllæ*
*Blandiciæ cogant ſtare; vel ire genis.*
*Si dat iura dolor lacrymis, animusq́; dolori;*
*Et lacrymis animus cur dare iura nequit?*

Gaudium & dolor in lacrymis.

*Diuiduus gemino ſeſe in diuortia ramo*
*Fons ſecat, & geminas vnus adoptat aquas.*
*Hic ſalſo par lympha mari. par lympha Lyæo.*
*Fons vno in riuo duplus, an vnus ineſt.*

FLETVS EX FLENTIS ASPECTV.

*Spectabam lacrymas. pectus dolor icit, ocello*
*Vnda ſalit. ſalſo flumine aquatur amor.*
*Elice fons oculo fluit alter, & alter ab illo*
*Proſilit; an lacrymarum antlia ſunt lacrymæ?*

LACRYMÆ AMORIS.

*Os dolor obſtruxit. cor emicat, emicat ardens.*
*Cor tenui in vitro roſcida gutta vehit.*
*Hoc vt vidit amor; pellucidula è cryſtallo*
*Mî mare, mî nauis, lacryma, dixit erit.*

QVIS MODVS LACRYMIS.

*Flere lubet? ruptis nolo ruat amnis habenis,*
*Nec volo ſtet ſicco cornea vena gelu;*
*Flere nimis, pueri eſt. mortem non flere, tyranni.*
*Sed iuſta in lacrymas pondera ferre, viri eſt.*

---

# AREOLA III. MORS.

E capite humor & ardor.

*Nimboſa in ſpecula mors incubat ardua, & iſtinc*
*Mittit aquas, gelido mittit in imbre faces.*

*Non vis vna ſatis? flamma cur pugnat & vnda,*
*Si gemino in leto qui cadit, vnus homo eſt?*

## FEBRIS.

*In caput inq; pedes reuolubilis errat in orbem,*
*Alternumq; terit frigus & ignis iter.*
*Oceanas imitata rotas, fax pronuba leti eſt.*
*Vt redit vnda: pari ſic redit igne vapor.*

## PODAGRA.

*Hinc caput intercus humor mortem impluit imbri;*
*Inde dolor lento decoquit igne pedes.*
*Quod genus hoc leti? gelat imber, & educat ignem.*
*Ebria an & podagra eſt? certè ea pota mero.*

## SENECTVS.

*Garrula dicor anus. ſed cur ſim neſcio; inermi*
*Vox ore hæret iners, naufraga lingua natat.*
*Immemoriq; madet infantia balba palato.*
*Et mihi das linguam, vox cui nulla ſonat?*

## Omnis ætas ad mortem tendit.

*Siue bipes iuuenis, curſum pede tendit ouanti,*
*Siue ſenex, tripedi geſtit abire gradu,*
*Par iuuenes rapit error; agon par admouet orco.*
*Curſor vbi diſpar, ſtat pede meta pari.*

## AD DECREPITVM.

*Pallor habet vultum, caligant lumina nimbo;*
*Lux cadit, arcanum ſerpit in oſſa gelu.*
*Et vita hac? viuis habitat mors plurima membris,*
*Quid metuis letum? mors potis ipſa mori?*

## MORS IN SOMNO.

*Somnus vt humenti prætendit lumina peplo,*
*Furtiuo arrepſit mors ſoror atra pede.*

*Et ferit euertitq́; hominem, cadit ille ſepulcro.*
*Furatur; dubitas? furta recondit humo.*

## MORS AB AQVIS.

*O fuge! mors liquido natat inſidioſa ſepulcro,*
*Cernis? perſpicuis ſe tibi prodit aquis.*
*Mors vbinam quæres? non vſquam hic tela vel ignes,*
*Vnda liquens telum, ſi volet, ipſa facit.*

## MORS PVERI.

*Belle puer, vultus pura cui purior vnda,*
*Tam citò te cunis Parca maligna rapit?*
*Non leti id liuor; ſed blandi crimen amoris.*
*Pulchellum puerum fœda procatur anus.*

## MORS PVERI E SOMNO.

*Neſcio quis lateri gelidum latus affricat anguis.*
*Mors erat. atra gemens puſio ſpectra tremit.*
*Et cadit; heu buſto vertit larua horrida cunas.*
*Mors ſomnum in puero credidit eſſe mori.*

## AMBESVS AB ANGVE.

*Sint diui faciles, matura puerpera vouit:*
*Sed non ſunt faciles; mater, & orba gemit.*
*Iam puer heu funus! vorat impius helluo ſerpens.*
*Infelix vterus nonne ſepulcra facit?*

Cracouiæ natus infans cum ſerpente qui eum in matris aluo laniarat.

## PESTIS.

*Non oſtrum, non tela ducum, non raſtra, nec arcus,*
*Parca timet, cunctos par necis vrna legit.*
*Velle mori nunc vna ſalus. tot acerba doloris*
*Sæcula eunt. medicum mors furialis agit.*

MORS

## Mors & è morte cinis.

*Adnumerat reges vili mors cæca popello,*
*Raſtra pari, icta pari turbine ſceptra cadunt.*
*Vt falx vna tulit, falx puluis & altera leto.*
*Cur mors in meſſes ſæuit iniqua ſuas?*

## PARENTATIO ETHNICA.

*Nunc olli leto datus, i pius vre parentem.*
*Vris, & ad buſtum poſtuma fercla coquis.*
*Hoc pietas, an ſæuus amor? ſub imagine amoris,*
*Quos rogus offendit, cœnula placat auos.*

Odoramenta ad ſepulcrum.

## CVRA SEPVLCRI AMBITIOSA.

*Sub pede mors falcem ſupplantat, & ignea fama*
*Cura tibi, vt memori marmore viuat honor?*
*Quis furor, o miſeri? nigranti in limine leti*
*Nolle mori, & vitæ candida fila rapi.*

## Nimio ſumtu parentans.

*Ver Arabum, & miſto Cynarëia germina amomo*
*Vre parentali dona ſuperba rogo.*
*Vſſiſti in flamas, ſic prædia vertis & aurum.*
*An ſignatus eget, iam patris auctus honos?*

## TITVLVS SEPVLCRO.

*Vt cecidi, aſſurgit moles operoſa: loquaci*
*Facunda in ſaxo gloria viuet anus.*
*Mors venit & ſaxis, vah quid non audeat amens*
*Ambitio? ipſa dedit poſſe ſepulcra mori.*

---

# PORTICVS

## In tria intercolumnia diſtincta.

## NATIVAE IMAGINES.

### AD LVNAM.

*Si qua ſedet nigrans candenti in corpore labes,*
*Nereidum ſalſo dilue fonte genas.*
*Non Lunæ maculam toto eluet æquore Nereus.*
*Quis nihilum expungat? ne lauet, umbra lauat?*

### IMAGO LVNAE IN MARI.

*Vt fuluus radio Lunam Sol pinxit in aſtris;*
*Candida ſe puris Luna repingit aquis.*
*Sic modò, quæ cælis argentea Solis imago;*
*Ipſa ſibi pictor, Dædala luna mari eſt.*

### VMBRA VRBIVM IN AQVIS.

*Mænia verſa labant; nutant ſine pondere turres;*
*Impelli faciles quà breuis aura ciet.*
*Vt quid Vulcano aduolnis fumante ruinas,*
*Oppida ſi victrix undula & aura quatit?*

### VMBRA SILVAE IN AQVIS.

*Fluxa virent criſpis iuga montibus, & natat abſens*
*Sylua vado, mergi neſcia ſylua natat.*
*Quale nemus? frondet liquenti fuſile vitro.*
*Venatur viridi Nympha Dianæ lacu?*

### VMBRA FLORVM.

*Ver ut terra ſuum florenti aſpexit in amni;*
*Hei mihi, ait, memo gurgite viſa rapi.*
*Purpureas nonne Auſter opes populatur, & imber;*
*Cur rapit & flores inuida Nympha meos?*

VMBRA

## VMBRA MYRTI.

*Adnumerat viridi nantes in gurgite myrtos*
*Nais, & vmbroſo pingit in amne nemus.*
*Quid mõſtri hoc? quæ diu vetus adſtitit accola fõtis,*
*Sylua natat pictis filia & hoſpes aquis.*

## VMBRA VITIS IN AQVA.

*Vinea pota mero pronum deſcendit in amnem,*
*Fert Bacchum vitreo prouida Nympha ſinu.*
*Quæ totas bibit & vites, nonne ibit Iaccho*
*Ebria? pone metum, ſobria Bacchus aqua eſt.*

## HELENA AD SPECVLVM.

*Vt bellâ in glacie Lædæ ſe filia pinxit:*
*Tyndarin è vitro Tyndaris alma parit:*
*Et Troiam lento collidis Sparta duello?*
*Nunc Helene gemino nonne bis apta viro?*

## NIREVS.

*Ipſe ſuâ Nireus blanditus imagine formæ*
*Se capit, infidis mox capiendus aquis.*
*Et quos non habuit in Nymphâ repperit ignes:*
*Nonne ſuam extinguet quam parit vnda facem?*

## FORMICA IN SVCCINO.

*Heliadum lacrymis ſeſe vt formica teneri*
*Senſit, & è pingui ſerpere rore gelu,*
*Riſit. & ô dixit, quàm te mors neſcia fallis?*
*Sic gemma condi, viuere penè fuit.*

## ECHO.

*Pica canit, pica reparabilis accinit Echo,*
*Erudit argutis garrula ſaxa modis.*
*Quid mirum humano ſi garrit pica palato?*
*Si potis & picam ſaxea lingua ſequi.*

# IMAGINES PICTÆ.

## IMAGO.

*Viuere quos credas, finxit ars dædala vultus,*
*Victurâ in tabula tam bene reddit auos.*
*Alloquor. vlla ſoni nuſquam redit aura, Parentes*
*Ars dare quos fingit, reddere muta negat.*

## DILVVIVM.

*Spumeus abruptis Neptunus inundat habenis.*
*Non color hic ſurdus; viua ſed vmbra ſalum.*
*Nunquid imago natat? orbis iam naufragus errat?*
*In tabula. an totus mundus it arca mari?*

## IMAGINES AVORVM.

*Turba ingens ataui ſeruant tua ad atria; cuſtos*
*Sed cuſtodis eget. ſtat ſine corde caput.*
*Quàm domus hæc male tuta, vigil quam mortuus ambit.*
*Milleno vigilat plus canis vnus auo.*
Collocari ſolitæ in veſtibulis.

## VER.

*Inde ſuo natura parens variata metallo;*
*Hinc ars ſolicito ludit amœna ſtilo.*
*Plus viret arte nemus, ver omni hic pulchrius horto;*
*Nunc ars natura eſt ingenioſa. creat.*

## IRIS.

*Vt pictum ad pluteos vidit Pallantias imbrem,*
*Riſit, & ô dixit, quàm nihil illa mei?*
*Vda pluo, ſiccum illâ decus; fluo, neſcia nimbi eſt;*
*O monſtrum! irim habet ſemper, & iris abeſt.*

ROSAE

## ROSAE IMAGO.

*Clauſa prius viridi nodo, veriſq; ſigillo,*
*Nunc ego ver pandis nuncio muta labris.*
*Nũ mihi vox? hic muta cauis velut vmbra labellis?*
*Da Zephyrum, & potero forſan vt aura loqui.*

## ALIVD.

*Ver vt ridet agris, tabulâ ſic ridet, auaros*
*Expedio Calathos. fallit imago manum,*
*Fallaces mentita roſas, nec fallit; adunca*
*Quæ fugit è ſpina, ver agit in tabula.*

## VITIS PICTVRA.

*Huc oculos animumq; aduerte atq; ora, Lyæus*
*Inuitat. roſeo diluet imbre ſitim.*
*Succus abeſt. guſtum fallax inuidit Iacchus:*
*Lumina paſce, gulæ ſi negat vua merum.*

## VITIS ZEVXIS & PVER.

*Purpurat albenti vindemia picta caniſtro;*
*Quiq; gerit, ſimili murice verna rubet.*
*Nil pueri metuens legit ales adunca racemos.*
*Vua merum eſt, dixit: picta ſed vmbra puer.*

## VVAE ZEVXIS.

*Penniger accumbit picto conuiua racemo.*
*Non fruitur, viſus diuite vite frui.*
*An nouus ille Phineus? ſiccus certe ardet ad vuam.*
*Ars agit Harpiam, datq; negatq; merum.*

Phineus accumbit ad epulas, quibus ei nefas veſci, ob harpias, quæ id vetant.

## EQVVS CVRRENS.

*Aſtur inoffenſo currebat in æquore, ſpumas*
*Pictor anhelanti feruere iuſſit equo.*

*At fruſtra, ars renuit ficta mendacia ſpumæ.*
*Vera decet, iam diu nonne cucurrit equus.*

Pingens equum properantem, diu nequijt ſpumam appingere.

## IMAGO PROMETHEI EXESA.

*Caucaſeâ prepes ſtans rupe, Promethea roſtro*
*Tundit, & infeſto diripit vngue iecur.*
*Tabentes iam longa dies tandem abſtulit artus.*
*Quid mirum? hoc iam tot ſæcula vultur edit.*

## CYCLOPS.

*Menſa manum thyrſo, ſignat pictura Cyclopem;*
*Et quem vix capiat Ætna, tabella capit.*
*Plus cerno in digito, quàm corpore. totus in vna*
*Parte Cyclops. facta eſt pumila imago gigas.*

Pingit Cyclopem cuius pollicem thyrſo metiuntur pueri vnde eius magnitudo datur intelligi, *Plin. 32. cap. 2.*

## IPHIGENIA.

*Timanthes obnube caput patruiq; querelas*
*Eripe, ſtat diro virgo adolenda ſacro.*
*Obtegis, & pullâ fraudas ſub nube dolorem.*
*Dum ſic arte tegis, detegis, inquit, amor.*

Timanthes Iphigeniæ ſacrificium dum pingit patrui caput obnubit, vt eo maiorem ſignificet dolorem, quam vt exprimi poſſit.

## ELIAS.

*Quod genus hoc currus? ignis rota, & ignis habena,*
*Igneus ignipedes rector adurget equos.*
*Tot tolle ô flammas, vres male prouide currum.*
*Eliam tabulis vis Phaëtonta tuis?*

IMA-

# IMAGINES SCVLPTÆ.

## STATVAE.

*Quæ ſine voce rides, immotis ſigna labellis*
*Muta putas? priſcos ſaxa loquuntur auos.*
*Arrigis huc aures? oculis gens iſta Quiritum*
*Docta loqui eſt. vocem fama canora tenet.*

## MARMOREA STATVA.

*Credideram viuos ſpirare in marmore vultus.*
*Tange manu, heu ſurdum pectus, & ora gelu.*
*Verus homo, hic vanis fit adultera imago figuris.*
*Nulla magis fallunt ſaxa, nec vlla minus.*

## Querela hominis ſtatua expreſſi.

*Ah, ſurdo in ſaxo ducam ſecla! hoccine vitam*
*Viuere? an in terra denuo poſſe mori?*
*Si potuit luteos vultus animare Prometheus,*
*Quid vetat, artifice viuat ab igne lapis?*

## PEGASVS AEREVS.

*Pennigero ſonipes meditans pede currere cælo,*
*Inſuetum affectat ambitioſus iter.*
*Neſcio quis rapidis iniecit ahenea plantis*
*Vincla. quid hoc monſtri eſt? vngula fræna gerit.*

## PEGASVS.

*Saxa Meduſæus præpes quatit, emicat imo*
*Vnda ſolo, pronis euoluenda iugis.*
*Sit ſatis hoc. quid adhuc vinctis tot ſæcula pennis*
*Hæret hians? iſto fonte ſat iſte bibit.*

## EQVVS VENETIIS.

*Suſpenſo quem ſtare gradu mentitur imago,*
*Ocyus æripedi turbine currit equus.*

*Par cum ſole labor, par curſus. at impare fato,*
*Aurea ſol; ſonipes ſecula ahena trahit.*

EQVVS ANTONINI.

*Attonito ſonipes quem ſtans miraris hiatu;*
*Arduus alipedi geſtit abire fuga.*
*Roma caue, cape vincla, manu rape frena; tot annos*
*Qui ſtetit, vt currat, dux, viden', vrget equum.*

LEO FONTEM VOMENS.

*Magnanimus nemorũ quondam regnator, aquarum*
*Nunc promus famulo pectore ſtagna vomit.*
*Si Cybele domitat fractum ad frena aſpra leonem;*
*Mollia Nympharum cur iuga ferre neget?*

TAVRVS PERILLI.

*Ab fabro Siculus bos aneus exit in ignem.*
*Naturâ dubito viuat, an arte pecus.*
*Et certè hic ſpirat, mugit, furit, aſtuat, vrit;*
*Bos fera natura eſt, qui fuit artis opus.*

LILIA FRANCIÆ.

*Aurea cæruleo cur ſtellant Lilia campo?*
*Num cælum aſtrigero Francia picta ſiun?*
*Aſtra vides? certè cyano ſtant Lilia regno,*
*Sidus humi, cæli flos amaranthus erunt.*

NIOBE.

*Iam viuit Niobe ſibi poſtuma ſaxea leti*
*Filia, & humenti marmore docta queri.*
*Expectas gemitum? luctu ſilet ægra. ſuperbum*
*Dum fuit auſa loqui, plus ſine mente fuit.*

HELENA AVREA.

*Formoſam volui. gemma depingit & auro.*
*Aurea nunc Helene eſt, num genus illa Midæ?*

*I Pari dic nubat iam Ledæ filia Pluto.*
*Si prior apta rapi, dignior iſta capi.*

ANDROMEDA.

*Os niueum, & flauos per eburnea colla capillos*
*Argutis animat Dædala dextra modis.*
*Artis opus. par Andromedæ ſi forma fuiſſet;*
*Tam blanda amplexus orca dediſſet hera.*

FORTVNA EX ÆRE.

*Res ego plus fragilis vitro, vitreaq; pruina;*
*Et ſolidum viuo ducis ab ære caput?*
*Crede mihi, non illa meo ſcena apta theatro.*
*Vin' bene fortunam fingere, frange vitrum.*

CLEOPATRA.

*Hæc quæ viuaci ſub caute perennat ad auras,*
*Nil eſt, nilq; bibit, flebile tota gelu.*
*Cur Cleopatra gelat? neſcis? vbi deſit opimus*
*Bacchus, & alma Ceres, friget inerma Venus.*

LAOCOON.

*Quid Maro, quid ſculptor, quid agis Sadolete? ter vno*
*Vis iterum leto Laocoonta rapi?*
*Viuere ter, geminæ dedit ars cum prole parentem,*
*Et dabit ars nouies ad tria fata mori.*

Virgilius & Sadoletus ſtilo, Sculptor celo pulcherrimo expreſſit.

COENA HELIOGABALI.

*Mendaci inuitat te marmor edule ſagina.*
*Incœnem illuſit veſca figura famem.*
*Venter inops oculi conuiuia ſpectat. inani*
*Ore Codrus; viſu diuite Crœſus agis.*

E marmore picto cœnas exſculpſit.

PYTHA-

PYTHAGORAS.

*Vin' tibi Pythagoram? preſſo mihi ſculpe labello*
*Harpocratem, & Samij noueris ora ſenis.*
*Pythagoram è bruto ſed gignis marmore, plus quam*
*Pythagoram reddis. plus ſua imago ſilet.*

SOCRATES.

*Nil animo fictum, nil pictum ſimplice vultu.*
*Sublucet vitreo pectore pura fides.*
*Et tu non viua mentiris imagine vitam?*
*Archetypo effigies diſcolor iſta ſuo eſt.*

PLATO.

*Pene Plato fueram. deeſt vox, deeſt lingua; magiſtrum*
*Pythagoram an ſurdo marmore viuo meum?*
*Malo loqui. arguto* Πειθώ *ſedet Attica ſaxo.*
*Vt quid ceu Niobe ſit Plato muta ſilex?*

SENECA.

*Mors & vita pari certant in marmore. vitam*
*Ars tribuit, mortem ſpirat imago ſuam.*
*Pallenti in glacie fandi ſilet inſcia. id vnum*
*Eſt leti. vita cetera & artis habet.*

Lipſius eam reddit in ſuo Seneca.

LIPSIVS.

*Hæc Iuſti effigies iuſtam meditata parentem:*
*Surda ſilet. mentem neſcia ſaxa loqui.*
*Si cupis hanc; ſpecta libros quali illinat auro:*
*Et Sophiæ in cælo ſidera docta leges.*

CÆSARIS STATVA.

*Quid non ars auſit, cælo nunc viuit Iüli*
*Ille nepos; ipſus Iulius ipſus adeſt.*

*Sed pallens hiemat Libyco ſub marmore. credo*
*Saxificum vidit Gorgona, & obriguit.*

AFFABRE SCVLPTVS NERO.

*Odero? in ambiguo eſt. te certè inuitus amabo.*
*Execror archetypum, me tui imago tenet.*
*Aut Nero ſit melior, vel peior imago Neronis?*
*Quid facit ad ſæuam gratia blanda feram?*

NERONIS STATVAE ERASAE.

*Roma rogas, duro cur nullus ahena Neroni*
*Signa foro ponat? æneus ille fuit.*
*Si non aſperior; ſi vis flauente metallo*
*Viuat adhuc? Siculo ſub boue claude feram.*

IVSTITIA THEBANA.

*Stultius an quicquam? iuſta diua arbitra libra*
*Qua trutinam expendat, non habet orba manum;*
*Hæc Dea an apta foro? laruis ius dicat & vmbris.*
*Iam quod agat nihil eſt trunca vel orba Themis.*

PIETAS IN NVMO.

*Quid facit hic pietas paſſis ad ſidera palmis?*
*De cippo ad ſuper s mittit inerma preces.*
*Carcer enim numus. fuluâ Dis compede diuam*
*Illigat. hîc auro venit, & emta perit.*

OCNI STATVA.

*Hæc Ocni effigies. quiſquam an mage diſcolor error?*
*Illa niui concors, Ocnus vt vua rubet;*
*Mollior hic fungo, ſaxo riget illa. quis ergo*
*Par in vtroq; tenor? ſurdus vterq; ſilet.*

VXOR LOTH.

*Audaces oculos vt flexit neſcia in ignes?*
*Saxea in exſangui fronte cucurrit hiems.*

*Sicut erat, perſtat, viuo è ſale triſte ſepulcrum,*
*Mors ſtare vt vidit; hîc vbi funus? ait.*

# ARTIFICIALIA.

## TAPES.

*Fraxinus, Ornus, Acer, nec inhoſpita vitibus vlmus,*
*Nux, Corylus, Pomus, Myrtus, Oliua, Pyrus,*
*Et nemus omne viret; quid non Ars auſa perennat?*
*Hic vbi ver nullum eſt, gaudia veris agit.*

## COLOSSVS SOLIS RHODI Ad Aquilam.

*Quà latè aërio ſpatiare per ardua curſu*
*Solis amans, odio cur tibi clara Rhodos?*
*Hîc tibi Sol alter, ſed ahæneus. aurea ſi ana*
*Si daret ars aëri, ſol foret alter humi.*
Nunquam Aquila Rhodi viſa. *Plin.*

## SAGVM PVRPVREVM.

*Signa canunt lituiq; globo dux coge cohortes.*
*Purpureum pugnax ventilat haſta ſagum.*
*Emicat, ira flagrat ardor generoſus honeſti.*
*Degener ante lepus, nunc leo miles erit.*

## COROLLA ROSACEA.

*Vere nouo quos aura vehit zephyritis odores*
*Nare bibe, & vinctis detrahe ſerta comis.*
*Quid capiti & violis? qui tempora cæca coronas*
*Das noſtris oculis quæ tibi ſerta negas.*

## AD CLEPSYDRAM.

*Fida licet ſoles fluidâ metiris arenâ.*
*Mentiris, profugo puluere fallis herum,*

*Nonne tuo numeros quo plures addis acervo,*
*Labentem minuis, dum fugit hora, diem?*

## SPECVLVM.

*Cryſtallum obtendit variâ transforme figurâ*
*Mater; humi illiſit æquora leua puer.*
*Nonne ego, ait ridens, vitalis imago parentis?*
*Quid tibi vis muto mortua ſpectra vitro?*

## ALIVD.

*Blanditur roſeo cryſtallus lena labello,*
*Seq; animat viuis mima figura modis.*
*Sed ſilet. adde vitro vocalem è rupibus echo;*
*Atque anima alterno murmure; viuet homo.*

## VAS è CRYSTALLO.

*Quæ ſitio, & tu pocla ſitis, ſed diſpare fato;*
*Quod vomis, hoc purè ſobria reddo merum.*
*Sobria? crede mihi, cryſtallus & ebria Baccho*
*Deſipit. in glacie feruida pocla bibit.*

## MYRRHINA PATERA.

*Attigeris, labentur opes, & gaudia Bacchi.*
*Orba mero, grandes fracta cado in lacrymas.*
*Mecum plorat herus, fletu ſed diſpare; dulci*
*Imbre ſuo; ſalſas ille propinat aquas.*

## MYRRHA.

*Gemma vale, mihi maior honos gẽmante ſmaragdo,*
*Myrrha; vaporato condit odore merum.*
*Et ſapor è myrrha. venit alter Iacchus Iaccho.*
*Vrna meri hæc ſapido fictilis vua luto eſt?*

Vaſa myrrhina odorem conciliant vino & ſaporem.

## PATERA E CRYSTALLO.

*Cryſtallo in fragili trepidat caſurus Iacchus;*
*Sollicitant dominas anxia vitra manus.*
*Anne merum ducis vitrei ô pincerna timoris?*
*Tam fluxa è glacie, dic, niſi poto metum.*

## PHIALA.

*Gemmanti in glacie ridens deſpumat Iacchus.*
*Hic rubet, illa gelat; hic fluit, illa riget.*
*Quid non ars auſit? naturæ iura triumphat*
*In phiala, autumno vitrea nubit hiems.*

## GLACIES IN VINO.

*Æſtiuat glacies ardenti fracta Falerno,*
*Et crudo hibernant feruida poclâ gelu.*
*Ver tepidum autumni ſic nuptus adoptat alumnus.*
*Pro Baccho in cyathis annus an vua natat?*

## SCYPHVS SPECIE ANIMALIS.

*Nunc toruo è vitro frondoſa ad cornua Bacchi*
*Fit lupa, hyæna, leo, pardus, & vrſa calix.*
*Qui bibis, hæc ea monſtra putas innare Lyæo?*
*Fallere: iam viuunt pectore pota tuo.*

## HOROLOGIVM.

*Nola ſilet, ſtatq; hora, graui en traho pondera plūbo.*
*It rota nexa rotis, tinnulaq; æra ſonant*
*Quis teneat lento fugientia tempora nodo,*
*Si dant & celeres plumbea vincla pedes?*

## CAMPANA.

*Sublimi erudio populum de turre, puſillo*
*Cum grege vbi ſacra ceu pila ludo domo.*
*Et plector ferro? Diuûm quo iuſſa faceſſam?*
*Impia ſupplicij eſt cauſa, fuiſſe piam,*

## INAVRIS.

*Quem tu nulla vides ſciſſa ſpecto aure cylindrum*
*Gemmifera è Gangis nobile germen aqua.*
*O mentem ſine mente! tuas aliena voluptas*
*Sauciat auriculas. dic caput eſſe Midæ.*

## ALIVD.

*Bacca emitur fundi precio, vt maris emta periclo eſt,*
*Nunc glacies, ſalſis ros modò purus aquis.*
*Stat magno iſte lapis; lapidis ſed carior vſus;*
*Nonne gelu hoc auris vulnere ſtultus emes?*

## LABIRYNTHVS.

*Incertas ſyluas, & inextricabile ſeptum,*
*Errantesq́ vias, Dædala regna ſubis.*
*Dic labyrinthæa iam latè indagine, cinctus*
*Hoc minus Ars errat, quo magis errat opus.*

## BALNEVM.

*Frigida ſtagna ſtruis: media Tibur alget in vrbe;*
*Sic patrios cenſus diluis vdus aquis.*
*Euge laua, & gelidam æſtiuo duc ſidere brumam.*
*Mox tepidis thermis eluet ora dolor.*

## CVRRVS.

*Fræna rego, volat acer equus, ruit orbis in orbes,*
*Temo trahit, cantho flexile currit onus,*
*Et rota nexa rotis ſequiturq́ fugitq́ quadrigas;*
*Pondere pondus abeſt, Currus an ala volat?*

## NAVIS E PINV.

*Sylua ſolo quæ fida ſtetit, temeraria ponto*
*Iam ratis it; ferro cadua vt occubuit.*

*Æolio*

*Æolio in regno ſylua iam filia vincet*
*Æolon exſul, inops, ſaucia & orba caput*

## ALEA.

*Dextra tremit, tremulo comes attremit icta fritillo*
*Alea, dum cæca ſorte profundit opes.*
*Idq; vno in puncto. cur ergo tot ambit ocellos,*
*Totq; oculat punctis diſcolor Argus ebur?*

Si vnionem iacis, qui & damnoſus canis dicitur, perdis.

## AD PHRYGIONEM.

*Arte Semiramiâ titulos & nomen honoris*
*Pingis acu, picto viuit imago peplo.*
*Iſtud honos mediâ intextum te viuere telâ?*
*Præmium & illud habet textor araneolus.*

## E CERASO CANISTELLVM.

*Lude puer ceraſo, candenti ludo quaſillo;*
*Calculus hic ludo teſſera nata tuo,*
*Et quate, concuſſo cadit alea nulla caniſtro,*
*Aleo ne ludas, alea multa data eſt.*

Neſcio quis exſculpſit è ceraſi calculo caniſtellum 14. areolis diſtinctum. *Adr. Iunius.*

## ATRAMENTVM.

*Qua liquor ater iit, nox effluit humida penna.*
*Dic atram exigui gurgitis eſſe ſtygem.*
*Hoc tamen ab Lethes res diſpar ſepia riuo:*
*Immemorem hic, memorem me facit, illa Σοφῶν.*

## GLANS PLVMBEA.

*Tempeſtas volucri graſſatur plumbea nimbo.*
*Æratoſq; metit dira procella globos.*
*Inſignes animos fert grando Martia plumbo.*
*Quàm vili ah aureis mors ſtetit emta viris?*

### SAGITTA VENENATA.

*Vulnificam in noxam cos aſperat impia ferrum,*
*Vipereamq́; bibit ebria arundo luem.*
*Quis furor hic? geminam telo præfigere mortem?*
*Quæ vix nata ſemel, vita bis apta mori?*

### ILIAS HOMERI IN NVCE.

*Lude puer nuce, ſceptra times nodoſa Catonum?*
*Hac nuce ſi ludis, ſeria cura tenet.*
*Et Troiam comedes, nucleum ſi mandis, auaris*
*Sed comedes oculis. ô gula docta! ſapit.*

### QVADRIGA MYRMECIDIS.

*Quadrigam vitreis muſcæ rimare ſub alis:*
*Tam nullo in ſtadio dic vbi currus eat?*
*Te breue fallet ebur, fugiet tua lumina? neſcis,*
*Sub circo aligero tecta quadriga volat.*

---

# BIBLIOTHECA.

## PHILOSOPHI.

### PYTHAGORAS.

*EVphorbum ſero Samius Sophos exuit æuo:*
*Sic tulit alternis ſors voluënda rotis.*
*Num Sophos iſte ſapit? vitam qui viuit & annos*
*Alterius, mentem non habet ille ſuam.*

Animarum transmigrationem aſſerit: vnde ſe olim ait in Euphorbum mutatum.

### SEPTEM GRAECIAE SAPIENTES.

*Quot tibi quæſo Sophi? quot ſigna errantia cælo.*
*Non plures? terris crede tot aſtra legi.*

Quid

*Quid reliquit an fungi? Turba hîc ſi cetera demens,*
*Quis fatuo è populo tot ſapit eſſe Sophos?*

## EMPEDOCLES.

*Pænè tuum nomen vice numinis haſit ad aras.*
*Non tulit Ætna; vomit improba ſandalium.*
*Ætnæo metuit alter ne Mulciber antro*
*Fortè ſies. lippo plus fauet Ætna fabro.*

Ætnæ ardenti ſe injicit, vt habeatur Deus, ſi nuſquam compareat: verùm æreas eius crepidas dum Ætna reſpuit, fraudem aperuit.

## DEMOCRITVS.

*Credideram Diuam, quæ viri it conſcia, cælo*
*Fulgere, naufrago fonte ſepulta natat.*
*Dic cerebro plus nonne tuo ſapit antlia ad amnem?*
*Pro Nympha Sophiam pota bibit puteo.*

Somniat veritatem latere puteo.

## HERACLITVS.

*Ignis humum, parit ignis aquas, parit aëra, mundus*
*Ignis, & ignigeno ſidera nata globo.*
*Cor Sophi! & ignis homo? lux omnia & omnia flamæ?*
*Vnde igitur media luce σκότεινος agis?*

Ait omnia nata igni. Obſcurus, ideo opus Delio natatore vt quis eum intelligat.

## EPICVRVS.

*Incertis fluitat incertus mundus habenis,*
*Nec ſedet aſtrigera prouida cura domo.*
*Sors ſi cuncta regit; regit & ſors cæca cerebrum,*
*Si loqueris caſu, mens tua an arte ſapit?*

Negat prouidentiam diuinam.

## PLATO.

*Dic quid agit Socratis pullus malè olente Lycæo?*
*Dulce canit, puro pectore canus olor*
*Et Sophiam impendit gratis; ſi diſcere gratis*
*Vult Plato, cur numerat? num cupit iſtud emi?*
Gratis docet & multus in numeris.

# MATHEMATICI, MEDICI, PICTORES.

## ARCHIMEDES.

*Tela Syracoſio vibrat Sol ignea muro,*
*Neptunus Siculo flagrat vt Ætna freto.*
*Vt Libyco Phaëton vrit ſub puluere terras,*
*Attigui Siculus ſic maris vrit aquas.*
Ad ſpeculum è mœnibus vrit Romanorum naues radijs Solis.

## IDEM.

*Immanes radio, ſolers & puluere moles*
*Ducis, & ingenti pondere bella tonas.*
*Tun' Deus? es par penè Deo; qui puluere & vmbris,*
*Tantillo è nihilo fulmina tanta creas.*

## IANELLVS.

*Dextera ficta luto (quis credat?) condidit orbem,*
*Exiguo en tellus, & freta nata ſtylo.*
*Dic quænam artifici dependam præmia cælo?*
*In mundi pretium quid niſi mundus erit?*
Fabricat horologium in quo cæli omnes reuolutiones.

VESA-

## VESALIVS.

*Qui medico in regno vitam inter & omina leti*
*Herbipotente regit aurea Sceptra manu,*
*Raptus abit. falx vnca rapit, falx inuida terris,*
*Viuo Veſalio mors timet ipſa mori.*

## ALBERTVS DVRERVS.

*Doctus Apelleo ſub pollice ducere vultum,*
*Tu viuis animas marmora muta genis.*
*Et fama immemori te claudam Alberte ſepulcro,*
*Qui vitam extinctis tam pius addis auis?*

---

# ORATORES.

## DEMOSTHENES.

*Cecropio ſpeculum & vocem de litore quaris,*
*Nempe mari Siren Attica dulce canis.*
*Te ſpeculo vt docuit Tethis componere vultum,*
*Sic abs te didicit barbara diua loqui.*

Ad litus declamat, & ad ſpeculum geſtum componit.

## XENOPHON.

*Vt Xenophon vdo cœpit ſtillare labello,*
*Mulſa bibo, & miſto nectare libo roſas.*
*Attica Muſa ſuo mel an deflorat Hymetto?*
*An tribuit? omni plus ape dulce ſapit.*

Dictus Attica Muſa.

## PHILO.

*Si vita rediuiua fides circumerrat in orbem,*
*Et * Samio vt figulus voluit in axe rotam.*
*Aut Plato nunc Graium ſuado induit ore Philonem*
*Aut Philo nunc magni † ſæcla Platonis agit.*

*Vult Samius Pythagoras, animas in orbem redire & migrare de corpore in corpus.

† Ait Plato magnum annum quo omnia eadem reuoluantur.

## IOANNES STOBAEVS.

*Inſidis, volitaſq; Sophωn florente theatro,*
*Mille ſuper calthas, mille ſuper violas.*
*Hic dulces epulas legis ore, nec vlla roſeto*
*Noxia. tu Sophiæ prouida nunquid apis?*

## CRASSVS.

*Iam ſine voce cinis Latiæ facundia linguæ.*
*Roma ſiles? infans ſerpit in ora pudor.*
*Illacrymas, nec plura. dolor vocem haurit hiantem.*
*Pro Craſſo didicit lacryma muta queri.*

## HORTENSIVS.

*Deliciæ Æneadûm, Suadæq; medulla, Quirites*
*Aure trahi faciles, quà lubet, ore trahis.*
*Argutaq; manu Romam ſuſpendis & orbem*
*Fers digito. an mundo Quincte diſertus Atlas?*
Geſtu animos rapit, & Romanos regit.

## CICERO.

*Tu Rex ille fori, largo cui copia cornu*
*Aurea, inexhauſto fonte perennat aquas.*
*Num par eloquio pretium? en caput orbis, & orbem*
*Suppoſuit ſceptro Roma ſuperba tuo.*
Circa vitæ finem, poſt necē Cæſaris, cuncta pro arbitrio agit.

## VARRO.

*Varro parens Sophiæ, priſcæ fax poſtuma Romæ,*
*Varro decus Latio, nobile Varro iubar.*

*Et te mors terris, noxq́ immemor eximit æuo?*
*Quis furor hîc? Sophiæ ſtella bis apta mori eſt?*

## LIVIVS.

*Ite Patauinis Nymphæ Tiberinides vndis*
*Cæruleoq́ comas Anio tinge Pado.*
*Liuius hîc, maior fons vrbe atq́ orbe Quiritum,*
*Queis Roma ipſa parum eſt, lacteus ille trahit.*

Multi eius viſendi deſiderio Romam profecti.

## PLINIVS.

*Quidquid floret humi, quidquid lacus vndat & imber,*
*Quidquid ſtellifero parturit Æthra ſinu:*
*Immenſo includis, Plini, ſub pectore. Comi*
*Ad ripam mundo mundus an alter agis?*

## MAXIMVS.

*Occidit, occideritq́ ſinas Nero, mitte furentem:*
*Cur animas viuo monſtra proterua ſtilo?*
*Te leto dabit. exitium exitiale parenti*
*Qui tulit; artifici parceret ille ſuo.*

Neronis ſcribit vitam cuius ſpectro exanimatur.

## AVGERIVS BVSBEQVIVS.

*Te loquar, ô Belgî fons dicam, an ſidus ad Iſtrum?*
*Pura tuo certè ſidera fonte natant.*
*Vſq́ adeò diues fandi it tibi copia; vt iſtinc*
*Auriferas quærat Hermus & Iſter aquas.*

Liberos Maximiliani 2. ſcientia & moribus imbuit; cuius ſtilus diſertiſſimus, in duplici quam obijt ſumma cum prudentia ad Turcam legatione.

IVRIS-

# IVRISCONSVLTI.

## VLPIANVS.

*Diua biceps dubijs errabat neſcia pennis,*
*Nox erat, illuni ſidera nocte facis.*
*Quæ ſimul aſpexit, dedit ilicet oſcula ocellis.*
*Ac ait, en oculis aſtra gemella meis.*

## THVANVS SENIOR.

*Sol vbi Cadmæas Pandionis aſpicit arces,*
*Hic Themis orba manu triſte tribunal obit.*
*Exul abit Thebis (quid enim niſi fabula Thebæ?)*
*Hoc ſolio vt quærat, qua regat aſtra, manum.*
Pingitur Thebis trunca manu & orba.

## LIPSIVS.

*Erue ſemirutas alto de puluere turres*
*Roma, tibi Iuſto vindice ſurget honos.*
*Te tumulo attollet. maior Pater iſte Quirino.*
*Te naſci hic iuſſit, iam vetat ille mori.*
Admiranda Romæ ſcribit.

## IDEM.

*Terris pulſa Themis cælo quærebat aſylum,*
*At cælum hic Lipſî repperit in gremio,*
*Dat Iuſto aſtrigerã (vt quid enim fert ſcorpio) librã.*
*Iuſtitiæ an quiſquam iuſtius aſtra ferat?*

---

# POETÆ.

## DAVID.

*Dulcior Alcæo ſacri tu Pindarus oris.*
*Cæleſti vt lyricen, ſic lyra viua choro.*

*Verſu & Amphion Cadmaæ an conditor arcis?*
*Suauè canens plectro cælite templa ſtruis.*

## HOMERVS.

** Smyrna, † Ioſq; tua certant de ſtirpe, quis æqui*
*Præſes erit? mors, & vita ſit æqua Themis.*
*Scribo. Quid? alma parens Ios, ſit Smyrna ſepulcrũ,*
*Conderis in myrto, naſceris in violâ.*
Græcè * Myrtus. † Viola.

## PINDARVS.

*Pïerio Dircæus olor, tu Pindare ſtagno,*
*Cui natat argutis ſuada venuſta labris.*
*Pone lyrã, hîc quod agat nihil eſt; vbi blanda diſerta*
*Os chelys, & plectrum lingua canora chely.*

## ALCAEVS.

*Si canis, auritis decurrunt montibus orni,*
*Pinigerumq; quatit Pindus & Oſſa iugum.*
*Fræna pati docilis iam tigris & vrſa, quis iſto*
*Ore capi nolit, vox cui ſuada fauus?*

## ANACREON.

*Phidiaco volui Teïum deſingere cælo,*
*Vſq; madens dubio ſed labat ille pede.*
*Et Bacchus vox vna, tamen Bacchũ inter & obbam*
*Os ſculpſi, errauit dextera, botrus erat.*
Totus eſt in vino.

## TYRTAEVS.

*Sparta gemens reſpectat opem, tremit anxia bello,*
*Hoſtili Eurotas attremit ictus equo.*
*At tu ſtare iubes, cui pes labat impare paſſu,*
*Ten' recto an claudo vult pede fama ſequi?*
Datum Spartanis oraculum Poetam vt bello ducem eligerent.

HESIO-

## HESIODVS.

*Ille rudi lingua teres attenuauit acumen,*
*Aurea cui criſpo ſceptra dracone virent.*
*Vrbanoſq; ſales Aſcræo inſperſit aratro.*
*Sic vrbem medijs rus ſapit iſtud agris.*

In vico Aſcra natus ruſtica ſcribit terſo ſtilo.

## THEOCRITVS.

*Dorica quæ Siculos demulcet fiſtula montes;*
*Enna ſuis violis ſtipat, & Hybla roſis.*
*Nunquid Caſtalidûm cornu iſta cicuta, tot vndat*
*Parnaſſi è bijugo vertice veris opes.*

Scribit edyllia paſtoritia in Sicilia vbi vſus linguæ Doricæ.

## P. VIRGILIVS MARO.

*Quæ non te Publi fama tuba publicat orbi!*
*Publica nonne tuus Bibliotheca liber?*
*Sunt & Virgiliæ. tu ſidere pulchrior omni*
*Virgili, & eloquij tu mare dulce Maro.*

## GEORGICA EIVSDEM.

*Grande ſui ſpeculum natura popoſcit, in orbem*
*Incidit ignotum: rura Maronis erant.*
*Repperi, ait, ſpeculum, terrã, mare, & æthera ſpecto,*
*Archetypo vultus pulchrior iſte ſuo.*

## AENEIS EIVSDEM.

*Viſa loqui natura. ſtruis, non pingis auitam*
*Troiam. Troiugenis * Phœbus an alter eris?*
*Parce, ait, ah Phœbi quid rurſum incendia ſpiras?*
*Vis cadat, & latio Troia † bis vſta rogo?*

* Apollo Troiam ſtruxit & euertit,
† Vult Æneiden vri.

STA-

## STATIVS.

*Euge caput cinxit baccata gloria lauro,*
*Quod tibi prima negat, poſtera fama dedit.*
*Adde roſas, myrtumq́; roſis innecte, perennis*
*Viuet honos. Sophia ver tibi iuge facis.*

Semel victus publico certamine, pòſt victor euaſit.

## OVIDIVS.

*Qui tragico poteras ſoccos veſtire cothurno,*
*Alternis tenuit clauda elegeïa modis.*
*Quæ cæcum cæcâ cum Cypride quærit Amorem:*
*Quàm bene non æquo claudicat illa pede.*

## BOETHIVS.

*Ante Cilix numeret Tmolus quot paſcit odores,*
*Quotq́; alit Hybla roſas. & quot Hymettus apes.*
*Quàm numerem quot mella fluant liquente labello,*
*Os fauus. hic ſophiæ neſcio an aluear erit?*

## SANAZARIVS Ad Virgilium.

*Te Publi auricomus Phœbus cui tangit odoro*
*Os radio, coſtoq́; imbuit & caſia;*
*Parthenope ſepelit, alium paritura Maronem.*
*Anne tuo & Phœnix pullulat è cinere?*

# DOCTAE MVLIERES.

## PROBA FALTONIA.

*Os, habitumq́; manumq́; vt vidit Suada, lyramq́;*
*An Charis, hic, dixit, de tribus vna canit?*

*An potius tribus una ſoror nunc addita? quadrum*
*Iam chorus agmen agit. tu Proba quarta Charis.*

IVLIANA MORELLA.

*Lingua ſonat Marcũ, Graium ſonat Æſchinis hoſtẽ,*
*Hebræoq́ fluunt balſſama miſta croco.*
*Quod genus hoc ſexûs: dictu mirabile, claudit*
*Ter geminos uno pectore virgo viros.*
Græcè, Latinè & Hebraicè docta.

BIBLIOTHECA ALEXANDRINA.

*Vulcanus Graiæ inuidit ſua ſecla Mineruæ.*
*Ah! claudo vrendos ſub pede flammat auos.*
*Caſtalios Lethæa bibent iam flumina fontes.*
*Nunc iterum ad Nilum Græcia viſa mori.*

---

# REGIA.

## In ea Solia quaterna.

## SOLIVM PRIMVM.

### Imperatores vſq. ad Conſtantinum.

IVLIVS CAESAR.

*Bis gemino in pilo medius ſtetit orbis, & hæſit*
*Pendulus, alterno ceu pila verſa Noto.*
*Cæſar habet, ſceptroq́ orbem ceu mobile pomum*
*Verſat. & ipſe leuis mox pila ſortis erit.*

AVGVSTVS.

*Tergeminum Auguſtus fracto tulit orbe triumphum,*
*Roma gemis gnato non bene ſerua tuo.*

*I mea*

*I mea libertas dices. cape Roma ſecures*
*Libera pro ſceptro. Rex tibi Brutus erit.*

Meditatur Romam ſuæ reddere libertati.

## TIBERIVS.

*Ficus erat: ficu decerpis dulcia leti*
*Pabula. prægustas, dos ea noxa viro,*
*Liuia es Auguſto, ſua quod fuit Eua marito,*
*Plus ſapis. Eua perit: tu tibi ſceptra paris.*

Auguſtum cultro vna ex parte veneno illito ficum diuidit & tollit, vt ſibi & filio Tiberio imperium aſtruat.

## CAIVS.

*Biſſenos faſces lege littor, & adde ſecures.*
*Quæ regat Æneadas, beſtia Conſul erit.*
*Plus domino ſapit ille: bipes nam Caius aſellus.*
*Conſul equus quadrupes, quis putet eſſe pecus.*

Meditatur ſuum equum creare Conſulem.

## CLAVDIVS.

*Sis quidquid libuit Claudi; ſis Cæſar & ingens*
*Numen abi, aut ſi quis numine maior honos,*
*Hoc tantum voueo. morari deſine terris.*
*Quantumuis properes, ſidera ſerò petes.*

Totus μωρὸς. id eſt, *ſtultus.*

## NERO.

*Ante ſecurigeros vinxit clementia faſces*
*Blanda, diu inſanas iam quatit ira faces.*
*Vah! ſibi quam diſcors gemina ſub imagine Cæſar!*
*Ianus an Oenotriis appulit alter agris?*

Nil eius primo quinquennio felicius, poſteriori nil dirius.

GALBA.

## GALBA.

*Erubuit Diua æqua tuos vt vidit honores;*
*Seq; tuis cingit virgo pudica roſis.*
*Nempe pudet tardam meritis properaſſe coronam.*
*At quæ ſera venit, ſeria palma venit.*

## OTHO.

*Mollis Otho pluuio crinis cui ſtillat amomo,*
*Aſperat imbelles in ſua fata manus*
*Sic Galba egregio placabit ſanguine Manes,*
*Sit Nero dum vixit; iam Cato fortis obit.*
Impurus homo ſibi mortem viriliter conſciſcit.

## VITELLIVS.

*Iratus dubium anne fauens Deus attulit oſtrum?*
*Sed magis iratus, δῶρον ἄδωρον honos*
*Purpura verſa probro. vertit mors ſceptra ſecuri.*
*Dum petis alta, cadis. ſcandere id ima fuit.*
Omni contumeliæ & mortis ludibrio expoſitus, cæditur à carnifice.

## VESPASIANVS.

*Quæ prius Auguſto ſtetit auſpice pacis imago.*
*Nunc redit, & vitreo pectore cana fides.*
*Iam ſunt quæ fuerant quondã aurea ſecla Quiritũ,*
*Creſce nepos; magnis tu Pater alter Auis.*

## TITVS.

*Itala regna ſuo ditat, num pauperat auro*
*Deliciæ ille ducum Flauius orbis amor?*
*Pauperat. vnus habet quicquid dant ſidera terris.*
*Hac ſi gemma perit; mors decus omne rapit.*

DO-

## DOMITIANVS.

### Momus ad Titum.

*Irradias auro fuluum ceu ſidus amoris:*
*Impius extinxit frater: vt vmbra ſiles.*
*Ille nouum it ſidus. ſcelus hoc ne crede: benignum*
*Officium eſt. Pollux Caſtoris aſtra gerit.*

Titum veneno tollit eiuſque ſceptra rapit.

## NERVA.

*Credideram e fuluo ſecla ante excuſa metallo,*
*Poſt atro è ferro ſtamina dura ſequi.*
*Nerua rotam inuertit. Saturni ſæcula in auro*
*Nunc agit vrbs; nuper ſub Ioue carcer erat.*

Domitianus ſe Deum aſſerit.

## TRAIANVS.

### Ad Neruam.

*Funeſtam trepida vindex ceruice ſecurim*
*Depulit, in ſæuam mors reuoluta feram eſt.*
*Nerua tuo in gremio nunc Vrbs ſedet ægra; ſenili*
*Quære ſinu hæredem. ſin; abit orba mori.*

Adoptat Adrianum.

## ADRIANVS.

*Quantum erat Auguſto pacem ad ſua ſigna paciſci,*
*Ducereq; auratis ſæcula cana roſis.*
*Maius opus ſeræ ſibi condere pacis aſylum,*
*Et dare qui pacem poſt ſua buſta colat.*

Adoptat Antoninum Pium.

## M. ANTONINVS PIVS.

*Innumeras qui fundis opes operumq; triumphos.*
*Grata tibi paruo munere Roma litat.*

*Cæſar habe ſceptrum. quæ præmia credis honoris*
*Diç meritam. abs tanto Cæſare creuit honos.*

## VERVS.

*Sparge roſas violaſq; croco, dein oſſa ſepulti*
*Tange manu, dices, mollior ille roſis.*
*Fluxior his certè: regni vt ver cœpit & æuis*
*Verus obit. picti veris imago fuit.*

Homo cuniculi mollior capillo; veliculo, & roſa, & croco incubat..

## M. ANTONINVS PHILOSOPHVS.

*Bellona furias clauſuſq; & frigidus enſis*
*Expulit: Auſonio pax ſedet alma thoro.*
*Viſa iterum vrbs naſci, quæ penè ſepulta ruinis.*
*Quod Romæ Æneas, Marcus id Æneadis.*

Frãgit Marcomanos Romano imperio excidium minitantes

## COMMODVS.

### Ad Antoninum.

*Fax patriæ Gnatus, Troiæ Paris alter: in hoſtem*
*Tu fulmen. patriæ ſidera clara facis.*
*Mirari volui. vetuit mens prouida. an iſtud*
*Monſtrum, ait, eſt, naſci fulmine poſſe facem?*

## HELVIVS PERTINAX.

*Vix aliquot ſoles arſit tua purpura in auro;*
*Ferrea quæ fuerant aurea ſæcla facit.*
*Cur non plus licuit? ferro pretioſius aurum;*
*Parcâ expendit Hones aurea dona manu.*

## IVLIANVS.

*Iulia nus Romæ ſceptrum mercaris & oſtrum,*
*Dum pluit hibernas cana ſenecta niues.*

*Tot qui luſtra ſenex ſero decurris in æuo,*
*Vix puer imperio tiro trimeſtris eris.*

Iam decrepitus multo auro palam imperium emit, quo vix potitus ſeptem menſibus.

## MACRINVS cum Diadumeno filio.

*Audio, vota facis ſanè non parua, puſilli*
*Vis pueri nutu pendeat imperium?*
*Prô furor! immenſum tantillus puſio mundum?*
*Tam breue cor mundo non ſatis apta bilanx.*

## SEVERVS.

*Proſit in incerto eſt noceátve ad ſceptra Seuerus:*
*Tot tulit alterno damna repenſa lucro.*
*Plus tamen ille nocet, furit, & poſt funera. legat*
*Pro ſceptro Auſoniæ règia tela feræ.*

Filiũ Caracallam peſsimũ inſtituit regni hæredẽ.

## GETA.

*Roma iubet cum fratre biceps iam diuide ſceptrum.*
*Quamlibet ampla duplex non capit vrbs ſolium.*
*Nec regnum in regno eſt. ſcindi res neſcia ſceptrum.*
*An geminum cingat vna corona caput?*

## CARACALLA.

*Cuncta priùs licuere, nihil licet amplius oſtro.*
*Pauca licere dedit fors, cui cuncta licent.*
*At tibi cuncta lubent. quænam iſta tyrannis honoris?*
*Nil licet, & ſceptro cuncta licere lubet?*

## HELIOGABALVS.

*Diuinos adolet cum iure Senatus honores,*
*Teq́; nouum pallet fumida Roma Iouem.*
*Nec ſors læta diu, cælo migrabis in vndas.*
*Sic quoque numen habes; pro Ioue Glaucus eris.*

Vult coli vt Deus. Abiectus in Tiberim.

## ALEXANDER SEVERVS.

*Magnus Alexandri iam pullulat oſſibus heros;*
*Sed cui Roma parens & mage purus honos.*
*Ambo metus Perſis; flos ambo fugacior vndis;*
*Ambo cinis, magni nominis ambo nihil.*

## MAXIMINVS THRAX.

*Vt trabeam puero tingas, cruor incoquit oſtro*
*Patricio, hoſtili purpura cæde rubet.*
*Ah nimium hoc pretium! poteras tinxiſſe minoris,*
*Ipſe tuo intinges ſanguine; carus emes.*
Filio vt imperium tranſcribat, ſenatores necat.

## MAXIMINVS IVNIOR.

*Aut non debueras naſci flos maxime florum.*
*Aut alio certè germine, & imbre ſeri.*
*Mors Pater ab Nato eſt, ferus ille Laniſta Quiritum.*
*Quâ tua ſpina, pari tu Roſa falce cadis.*
Maximinus filius pulcherrimus cum Patre impio cæſus.

## GORDIANVS SENIOR.

*Forſitan vtramuis dormis ſecurus in aurem*
*Cui tremulo e filo pendula ſica caput.*
*Incubat. Aſſyria te mors extendet arena.*
*Tam modico ab ferro quanta ruina iaceſ?*
Cæſus à Philippo.

## GORDIANVS IVNIOR.

*Vitæ tiro rudis vixi maturior annis.*
*Quos tu ſi numeres ver breue vita facit.*
*Quid numeras annos, numera ad mea præmia morum*
*Canitiem, & dices quàm puer iſte ſenex.*

PHI-

## PHILIPPI FILIVS.

*Cæruleo hic pietas, viridi pax floret amictu,*
*Illimis niueo pectore candet amor*
*Purpura adhuc deerat. tingebat gloria conchâ:*
*Tingere de roſeo maluit ore pudor.*

## DECIVS SENIOR.

*Romulidûm antiquos ſors reddidit altera faſtos.*
*Nunc iterum Decios Martius ardor agit.*
*Et geminis Deciјs par exitus impare fato.*
*Vis tulit hos; illis vota fuêre mori.*

## DECIVS IVNIOR.

*Ingentes ſpondebat auo tener impetus annos,*
*Inuida falx æui reſcidit orſa mei.*
*Illa cadunt, abiј puer & breuis aduena terris!*
*Sed nata è puero gloria viuet anus.*

## VALERIANVS.

*Fata triumphales vertere inuerſa quadrigas*
*Marſpiter in præceps Martia caſtra trahit*
*Sub Partho Cæſar ſupplex gemit, improba quantum*
*Gloria tu monſtrum cui caput ante pedes!*
Captus à Perſis ſubmittit caput loco ſcabelli, Regi aſcendenti in equum.

## CLAVDIVS.

*Attenuanda cauum ſe Luna retexit in hamum,*
*Lucidus vt toto canduit orbe globus.*
*Et ſors æqua tuis Regum Rex maxime ſceptris;*
*Queis cælum attigeras; nunc ea inane decus.*

## QVINTILLVS.

*Miſit honos ignem: tibi ſideris inſtar in oſtro.*
*Aurea fax ſtellat fallere docta diem.*

*Fumus erat. diras dedit Eumenis improba tædas.*
*In famæ exſequias nuptiæ honoris eunt.*
Ignis præferri ſolitus Imperatoribus.

## AVRELIANVS.

*Nullus honos oleæ, raruſq; ad præmia miles,*
*Cui non egregio vulnere pectus hiat.*
*Venit honos aurum ferro venale ſub haſta.*
*Viuida mens ſemen gloriæ ab hoſte metit.*

## TACITVS.

*Romanum ingreditur perſona ſuperba theatrum,*
*Credo Ixionio voluet in orbe rotam.*
*Ludere vix cœpit Tacitus; cadit vmbra ſepulcro.*
id. *Quod erat κωφὸν iuge πρόσωπον aget.*
Pauculos regnat menſes.

## FLORIANVS.

*Quò te prima vocant ſubſellia, curris anhelo*
*Ore inhians. neſcis quid rota eburna vehat.*
*Exerces pretioſa tui fallace ſub oſtro*
*Rex odia, ah panno diuite funus emes.*

## NVMERIANVS.

*Quid numeras annos? animi maturus & aui*
*Iam ſenui. in cano flore iuuenta viret.*
*Multa breui incluſi momento ſæcla. ſenectam*
*Præuerti meritis. vita futura fuit.*

## PROBVS.

*Huc Arabum meſſes, huc Indi ſcrinia, odoras*
*Huc Cilicum fruges; aggere Roma tuas*
*Et ſuper inſtilla lacrymas. Probus ille ſub vrna;*
*Improbus heu probitas hac face facta cinis.*

MAXI-

## MAXIMIANVS.

*Infelix in probra decus, tibi purpura tingi*
*Quo non debuerat ſanguine, tincta rubet.*
*Non tam crede mihi Tyrio rubet ebria ſucco,*
*Quàm Domini obſcœnum dedecus erubuit.*

# SOLIVM SECVNDVM.

## CONSTANTINVS.

*Mille ſolo ſtellare faces vt Cynthia vidit,*
*Eximiumq; inter praradiare ducem.*
*Cedite, ait, cælo mea cedite ſidera. pernox*
*Luna fugit; tenues, Sol venit, ite faces.*
Romam victo Maxentio ingreditur triumphans.

## CONSTANTINVS & CONSTANS.

*Nobile par fratres magnæ ſtirps magna parentis.*
*Vox vt concordi pectore vinxit honos:*
*Par vtinam vinciret amor. ſed ſcinditur orbis.*
*Vt ſit Roma biceps, perdidit orba caput.*
Cæſus vterque.

## CONSTANTIVS.

*Tertius illuſtri deſurgis ab arbore termes;*
*Vnde legat ſero germine poma Nepos.*
*Hei mihi quàm fallit ſterili ſpes pendula ramo!*
*Pro pomo vnde cadat, ſtirps parit orba facem.*
Iulianum eligit, qui ſuis ſit exitio.

## IVLIANVS.

*Tu quouis pelago, quauis incertior aura,*
*Mobilior folio, quolibet, adde globo.*
*Quam benè fors fortunâ ſuum tibi diuidit oſtrum.*
*Diua leui vt nubat (& leuis ipſa) Deo.*

## IOVINIANVS.

*Macte nouum terris iam tot poſt nubila ſidus,*
*Nil violat lucem nox aliena tuam.*
*Obſcuris prælucet auis fax clara Nepotis.*
*Phoſphoros hæc noctis clarat inane chaos.*

## VALENTINIANVS.

*Laurus amara diu, ſalſo diu macerat artus*
*Imbre dolor, diu par ſudor in arma pluit.*
*Poſt galeam cinges ſerto florente. laborem*
*Quiſquis amaror habet, dulcis amicat honos.*

## VALENS
## Ad Valentinianum.

*Scindit amor ſceptrum. fraternas diuidis haſtas.*
*Iam reget auguſtos alter & alter equos.*
*Impatiens conſortis honos. rapit alter habenas.*
*Cur vt ſis geminus; vis miſer eſſe nihil?*
Arrianus fratri Valentiniano ob fidem infeſtus.

## THEODOSIVS MAIOR.

*Solue ratem proramq; fretis obuerte. ſecundi*
*Aſpirant Zephyri, turba nec vlla ſalo eſt.*
*Vela dabit Fortuna, reget Prudentia clauum.*
*Altera fundet opes, altera ſpondet opem.*

## GRATIANVS.

*Armat imago patris venturum in bella Nepotem?*
*Teq; adeò in primis. cera dat iſta facem.*
*Macte animo; priſcos inſtaura victor honores.*
*Quæq; atauûm fuerant, fac tua ſæcla puer.*

VALEN-

## VALENTINIANVS IVNIOR.

*Sirenum ad ſcopulos natat illice deuius vndâ*
*Regni tiro recens, vilis vt alga mari.*
*Parua mora eſt. puppim ſæuis auertit arenis:*
*Naufragus inſidum cui mare portus erat.*

Viſus indulgere voluptati continuò reſilit.

## HONORIVS & ARCADIVS ad alterutrum.

*Par ſolium cum fratre, pari te diuidis oſtro.*
*Tu ſceptro illius maior, & ille tuo.*
*Sic tu bis Cæſar; bis Cæſar & ille. bis vnum*
*Dimidium toto maius an imperio eſt?*

Arcadius Orientem, Occidentem Honorius ſortitur.

## AVITVS.

*Vltima iam fugiens veſtigia preſſit in iſto*
*Pectore, & hoc Virtus hæſit itura ſinu.*
*Oppetis. exſtincto D iua it comes exſul Auito.*
*Te duce auita ſubit ſidera, ſidus eras.*

## MAIORANVS.

*Plus quam vita cadit, leto dum cedis. in iſto*
*Vrbs tumulo occumbit, quo cinis iſte iacet.*
*Funere ab hoc vulnus deſcendit in oſſa Nepotum.*
*Quæ nondum orta virent germina, falce cadunt.*

Optimus breuis æui & regni Imperator, cuius poſt mortem innumeræ clades.

## SEVERVS.

*Delibo imperium ſolio breuis hoſpes & oſtro.*
*Ilicet euerſo purpura ſciſſa thoro.*

*Vix gaudi vrna ſtetit, cadit & fugit icta procellis:*
*Nunc Pandora tuo fel bibo triſte cado.*

## OLYBRIVS & ANTHEMIVS.

*Purpurat in trabeâ Momyllus, Maior, Auitus,*
*Anthemiuſq́ʒ, Nepoſq́ʒ, Aniciumq́ʒ genus.*
*Tango oculos, vigilon'? Reges num ſomnio? eburno*
*Depinxi ſolio ſomnia, Momus ait.*

## GLYCERIVS.

*Phoſphorus impubi nodo vt ſecluſit hiantem*
*Mane roſam, includit Heſperus illacrymans.*
*I nunc & lentam meditare ad ſceptra ſenectam.*
*Cui quod prima dedit hora, ſecunda rapit.*

## IVLIVS NEPOS.

*Sidonio Cadmea Tyros latus induit oſtro,*
*Arduus in ſolio ſidera tangit honos.*
*Apto ſtilũ in titulos. quid me vis ſcribere? punctum*
*Illine pro magno Cæſare. puluis honos.*

## AVGVSTVLVS.

*Auguſtum Latio præluxit ſidus Eoo.*
*Augeat æternæ lætior vrbis honos.*
*Sic voueo. imminuit. Auguſto Auguſtulus exit.*
*Quantulus immenſo ſidere it igniculus?*

## THEODOSIVS IVNIOR.

*Occiduum moritura dies decumbit in æquor,*
*Pallenteſq́ʒ bibunt cærula ſtagna rotas.*
*Iam ſoror it cælo fraterni ſideris hæres,*
*Et cadit hæc. nunquid Caſtora virgo facit?*

## PVLCHERIA.

*Credideram ternas non vno numine Diuas,*
*Alterno amplexu ſtringier; vna fuit.*

Falli-

Fallimur? an Charis vna? triplex dic pectus amoris?
Vno, cerne, ſedet pectore terna Charis.

## MARCIANVS.

Auſpicium addixit Iouis armiger. abnuis omen?
Annuit: imperium pulchra columba dedit.
En Aquilas tibi læta ſuas tranſcribit & orbem.
Sol Aquilis & lux Martia Cæſar eris.

Dum captiuus ſub Genſerico dormit, aquila caput obumbrat, quo augurio Barbarus monitus liberum dimittit.

## LEO.

Bella placent? puras mauis ſine puluere lauros
Dona togæ, & blanda flectere ſceptra manu.
Mollis inoffenſas deuinxit oliua ſecures.
Quid? Leo nunc omni plus oue mitis homo?

## LEO IVNIOR.

Qua Thracen bimari Nereus circumlatrat æſtu?
Te pede purpureo candidus ambit honos.
Et properat. rapido licet amne cucurrerit oſtrum
Serò venit, cui mors tam cito ſceptra rapit.

## ZENO.

Eſt tibi qui dicat mi frater Σκῆπτρον μέριζε
Diuide. dic alter Cæſar, & alter eat.
Abnuis. hoc totum das neſcius. arma tenenti
Cuncta dedit, quiſquis iam minor æqua negat.

## BASILISCVS.

Cui nocui, nocet ille. breuem vix floret ad horam
Vita nocens, fructu præcoce damna legit:
Vix tollor, cecidi fractis inglorius armis.
Hei mihi probra necis plus nece cædis habent.

Zenonem regno pellit, à quo & pellitur.

## ANASTASIVS.

*Ignea bella ſonant mundi turbante ruina:*
*Effugis. an vindex appetit ira caput?*
*Nil opus his flammis. radius ſatis vnus & alter;*
*Putidulum in fungum qui graue fulmen eat.*

Quoties tonat, impius ſe abdit homo; qui tandem fulmine perit.

## IVSTINVS
## Ad Themidem.

*Iuſtinus Domina nemo quo iuſtior aulâ,*
*Purpureo inuitat Numina iuſta ſinu,*
*Dos ſceptrum. aſtrigeram tu ſceptro ſubÿce libram,*
*Non vllum pondus iuſtius aſtra ferent.*

## IVSTINIANVS.

*Vixti ter felix & crimine purus; vt oſtrum*
*Te tetigit, quod non eſt manus auſa ſcelus?*
*Quas non in clades ſors impulit ardua ſceptrum?*
*Sors quod blanda neget dat tibi ſæua decus.*

Olim pius Eutychianus & ſceleſtus obit.

## IVSTINVS IVNIOR
## Ad Iuſtinianum.

*Iuſtitiæ pernox oculus qui fulſit Eoo;*
*Nunc breue Iuſtinus nomen & vrna ſolo.*
*Cæca ſines Aſtræa mori tua lumina? ocellus*
*Dic tuus hic, libra cælite ſidus eat.*

## TIBERIVS SECVNDVS.

*Templa ſacris, vrbes populis, das arua colonis,*
*Arma viris, armis præmia, ſacra Deo.*

*Quid tibi iam mundus, cui donas cuncta, reponet?*
*Quæ cælum his meritis debuit, aſtra dabit.*

## MAVRICIVS.

*Tu ne triſte puta, quamuis ſit triſte, cruenta*
*Cæde meti. Regum eſt regia fata pati.*
*Ambitio hæc felix. dices ius cœlite regno.*
*Quæ tibi Parca rapit, neſcia ſceptra dedit.*

Mauult hîc ſua peccata expiari quam in futurum reſeruari.

## HERACLIVS.

*Occæcat puteos Cæſar. ſapit ante futuri*
*Conſcius, & leti frigida ſtagna fugit.*
*Sed fugit incaſſum. (quis enim ſat cauerit Orcum?)*
*Si volet, in ſicco puluere flumen erit.*

Caueri aquas iuſſit vates, ideo puteos obruit. Hydrope interim perijt.

## IVSTINIANVS RHINOTMETES.

*Guttanti quoties gemmaſcit ſtiria naſo,*
*Aut potius naſi vulnere gutta cadit;*
*In nocuum caput ira cadit, cadit aſpra ſecuris,*
*Impia vis leti clepſydra naſus eat?*

Æmuli nares abſcindunt & in exilium deportant, vnde poſtliminio reſtitutus quoties humor naribus affluit, toties necari iubet vnum ex hoſtibus.

---

# SOLIVM TERTIVM.

## CAROLVS MAGNVS.

*Euolue auguſto florentes murice faſtos.*
*Hic cui magna ſonant nomina, rarus erit.*

*I nunc & tumidos munde ampullare triumphos,*
*Vix cui tres Magnos Maxima Roma parit.*

## IRENE.

*Quæ ſceptri inuidia hæc? Cæſar caligat in oſtro,*
*Quæ miſero extinxit lumina, mater erat.*
*Hoc opus Irenes, Saturni an crimen? alumnum*
*Cur perdit? alium num timet illa Iouem?*

Excæcat filium Conſtantinum.

## CONSTANTINVS IRENES FILIVS.

*Poſt ſolium en carcer, poſt torquem & ſceptra ſecuris.*
*Hæc rota fortunæ. denuo verte rotam.*
*Nunc ſceptrum è vinclis, de ferro egerminat aurum.*
*Tot quem fata rotant, quo pede ſtabit honos?*

## MICHAEL BALBVS.

*Ridiculum. ingreditur fortuna vt mima theatrum.*
*Cum* * γλαφύρῳ & θρεύλῳ κωφὰ πρόσωπα ἄγει
*Ite pares Caluo & Balbo de Cæſare mimi.*
*Et ride caluum ſannio Balbe caput.*

* Cum Caluo & Balbo mutas agit perſonas. Circa hęc tempora Carolus Caluus & Ludouicus Balbus regnant.

## LVDOVICVS PIVS.

*Rex eris. alma tuis arrident ſidera votis.*
*Iam medio intendes regia vela foro.*
*Felix imperium! tibi nonne quot obſita gemmis*
*Clara corona micat, mente tot aſtra geris?*

## CAROLVS CALVVS.

*Ludere fallacem vis Calue in prælia ludum.*
*Maior vt optiuo nomine creſcat honos.*

*Vt fratrem exſtinxti, furit ira ſuperſtes, & orbem*
*Fraternum plectis. num ſcelus ergo mori?*
Auſtraſiam fratris occiſi regnum depopulat.

## BASILIVS MACEDO.

*Siue opus eſt armis, laurus ſedet apta coronæ.*
*Siue opus arte togæ, pacis oliua decet.*
*Sorte pari in geminos diſcors te diuidis vſus,*
*Vnus es an gemino è Cæſare Cæſar agis?*

## LEO PHILOSOPHVS.

*Macte vir ille virûm, & laurum præcerpe triumpho,*
*Plus tibi quam Martis, Palladis haſta placet.*
*Militis eſt viciſſe manu, ſed vincere inermi*
*Conſilio, magni Cæſaris iſtud opus.*

## LOTARIVS.

*Circulus hic anni. ſeſe vno in Cæſare voluit*
*Ver, autumnus, hiems, æſtus. & vnus homo eſt.*
*Flos formæ, meriti ſeges aurea, fructus honoris*
*Purpureus, famæ cana ſenecta viret.*

## CONRADVS.

*Occiduus mortem, mortem conſpirat Eous.*
*Et Graio & Siculo mors geminata dolo*
*Quantus homo Cæſar, cui non mors vnica & vna*
*Vnius in cladem non ſatis orbis erat.*
Græcorum fraude & Rogerij perit.

## ZIMISCES.

*Pocula Lethæo ducis medicata veneno?*
*Ore tuo heu pietas noxia fata bibit.*
*Teq; cadente cadit, quæ te ſtetit auſpice. leto*
*Id loquitur, vitâ quod nequit orba queri.*
Victor Saracenorum in Syria veneno interit.

ANDRONICVS SENIOR.

*Impia cane puer, tandem orſa retexe iuuentæ;*
*Concretumq́; pio dilue fonte ſcelus.*
*Quis ſcit an atrigerã plectat metanœa coronam;*
*Ne ſtygio inregno flammea ſceptra geras.*

RVDOLPHVS PRIMVS.

*Errabat dubio Romæ ſpes anxia ponto;*
*Errantem Auſtriacis excipit Iſter aquis.*
*Certa natat. pernox ſtellat iam clauus ad Vrſam.*
*Tu nonne Arctoo ſtella Rudolphe polo?*

SIGISMVNDVS.

*Cynthia nocturnas iam diu mirata pruinas,*
*Arctoo vt vidit te radiare mari:*
*Ilicet exclamat; nox annua cede niuoſõ*
*Pulſa iugo. hic annus nunc erit vna dies.*

IOANNES COMNENVS.

*Quâ ruis? ah prefugum premis ad tua retia ceruũ;*
*Induet in ramos cornea ſylua latus.*
*Mors comes (& neſcis) ſyluis venatur. odorum*
*Crede canem, cepit inſidioſa feram.*

ANDRONICVS.

*Exſul abis ſolio, dein Cæſar ab exſule; ſceptri*
*Nunc decus, inſano dedecus inde foro.*
*Quot fixti Proceres, & tot figere ſagittis,*
*In leto alterius tu tibi lictor eras.*

CAROLVS QVARTVS.

*Dequerar infelix, an felix gratuler æuum?*
*Nil hoc diuitius pauperiusq́; nihil.*
*Eximius ſero Sol Cæſar & vnio mundo,*
*Si cadit; orba nequit par dare terra decus.*

FRE-

FREDERICVS TERTIVS.

*Compoſitus ſemperq; tuus, curæ omnis & iræ*
*Exſors, curarum millia mille regis.*
*Pacis honos. primæ iam pridem oblita iuuentæ eſt;*
*Quæ Frederice tuis canet oliua comis.*
Annos quinquaginta tres regnat ſine bello.

## SOLIVM QVARTVM.
### In quo Reges.

ALPHONSVS REX NEAPOLIS.

*Florenti Sophiæ nunc ludis inermis in horto;*
*Horrida nunc duri Martis arena placet.*
*Durior an telo? num plectro es dulcior Heros?*
*Tela nigro tinges ſanguine, plectra fauo.*

CAROLVS SAPIENS.

*Martia pacali myrtus denubit oliuæ,*
*Vnde tibi æterna fronde perennat honos.*
*Par Sophiæ in ſtadio, par belli it puluere ſudor;*
*Quid tibi cum bello, pax cui inerma decus?*

LADISLAVS.

*Tu viridis fuluo ſine labe ſmaragdus in auro,*
*Tu totus ſceptro lucida gemma tuo.*
*Mors puerum puerią; decus tulit inuida. Terris*
*Quod rapuit, cœlo reddidit. aſtra facit.*
Trium Regnorum heres.

STEPHANVS BATORIVS.

*Diuiduæ ſcindunt vnum in duo pectora curæ.*
*Hinc Sophiæ, inde trahit Martis inuſtus amor.*
*Te totum Sophia, & totum Mars poſſidet heres.*
*Te gemino an ſæclo vita dat vna frui?*

ROBERTVS CAPETVS.
*Sceptra vouet virgo quadro virgo ardua ſaxo,*
*Diuite cui cornu copia inundat opes.*
*Quidquid opum dederit, felici id fenerat auctu.*
*Nulla tibi tribuit dona. quid ergo? ſerit.*
Ob eleemoſynas Deus ſpondet regnum ſtabile.

# CLYPEVS.
## In eo duo Limbi.
## LIMBVS I. HEROES.
### XENOPHON.
*VIuit amor Sophiæ, viuit ſub pectore Mauors*
*Apta manus telo, nec minus apta ſtilo.*
*Hinc Sophia, hinc Mauors ſibi Pallados arrogat artes*
*Iure pari. hic bellat, altera bella canit.*
### ARISTIDES IVSTVS.
*Iuſte tuum inſcribam victuro marmore nomen.*
*Si modo marmor emas. dextera an illud arat?*
*Non mica hîc auri, lauri ſed plurima ſylua.*
*It venum. lauros gloria nunquid emit?*
### COCLES.
*Stat pendente via ceu murus ahenus Etruſcos*
*In clypeos, Cocles Martius Vrbis honos.*
*Quos alueo Tiberis toto non arcuit; arcet*
*Vnus homo, toto maior an amne vir eſt?*
### SCAEVOLA.
*Virtuti calet ara, manus diſtillat in ignes*
*Noxia, & hoſtiles imbuit vda focos.*

*Erra-*

*Errauit victa igne cadet. ſic vincitur hoſtis.*
*Peccat ni peccet cui ſua noxa decus.*

## SICINIVS DENTATVS.

*Horridus incaſſum te lorum grandinat imber,*
*In caput hoc.min' vis maior & ira ruet?*
*Ferreus euerſo perſto agger in aggere. pectus*
*Ariete murali concute; murus erit.*

## DECIVS.

*Stat clypeo infracto Patriæ fulcire ruinas;*
*Et fulcis. caſo Patria in hoſte ſtetit.*
*Tu cadis, aſpra rapit ſors quos dedit alma, trium-phos.*
*Quo plus ſic rapuit: plura trophæa tenes.*

## SCIPIO
## Ad Romam.

*Mittis in exilium cui mittere blanda ſalutem*
*Debueras? tantum mater es auſa nefas?*
*Parce furens animi, non ſonti parce Nepoti.*
*Et tibi parce parens, pars ego magna tui.*
Mittitur Linternum in exilium.

## RVTILIVS.

*Te patrio vt cautes ſecluſit inhoſpita regno;*
*Decolor auerſis gloria fallit equis?*
*Falleris! vrbs Italo regno exſulat, exſul es ipſe*
*Exſulio, hoc tecum carcere Roma domi eſt.*

## SYLLA.

*Porrò fugis. premit hoſtis equo. par Martis arena*
*Et par Curſus habet. par prope lucta tenet.*
*Arte pedem ſtruis, arte feris, & ſternis ouantem*
*Ante miſer Pollux; Caſtora victor agis.*

SER-

## SERTORIVS.

*Effuge. ſciſſa labat ciuili Roma duello,*
*Pro Tiberi Heſperio dilue tela Tago.*
*Tu leo Callaicis Sertori inuictus arenis.*
*Sed cui dux ceruus, nunquid & ille leo?*
Ceruam inſtruit quæ auribus ſuis coram populo inſuſurret quaſi Deorum monita.

## SCAEVA.

*Iam denſis clypei latè orbis inhorruit haſtis,*
*Æratumq; ſonat teliger vmbo nemus.*
*Pro ſcuto neſcis armamentaria quino*
*Fers digito, hic haſtæ, geſa, faces, iaculæ.*

## CATO.

*Cæſar adeſt; pulcrā ſtat fallere morte pudorem,*
*Grande decus ferro vindice credis emi.*
*O Puer imbellis Cato non Cato! mollia lingua*
*Tela times? leti quî potis aſpra pati?*

## CAESAR & POMPEIVS.

*Tota ſibi laureta Nepos decerpſit Iulî;*
*Et totidem lauri præmia Magnus habet.*
*Magni vt Iuleas concuſſit laurea lauros.*
*Heu Mundi excidio quot dedit icta faces!*
Laurum lauro ſi illidas, emicat ignis.

## CASSIVS.

*Quid non ſors auſit? cui iam prope parta Philippis*
*Meta; triumphales fregit iniqua rotas?*
*Te tibi Brute rapis. mendax leti impulit error.*
*Ah abſens Brutum Caſſius enſe fodit.*

BRV-

## BRVTVS.

*Mars vltor ſe Brute tuis addixerat armis.*
*Neſcius inuidit Caſſius. enſe cadit.*
*Sorte pari incumbis ſtrictum moriturus in enſem.*
*I pede carpe fugam, neu fuge Brute manu.*

## ROMA AD BRVTVM.

*Ah neſcis? vt iuſſa ſemel decumbere leto;*
*Brute tuo ferro Roma bis icta cadit.*

## MARCELLVS.

*Flore tenus ſpes læta breui viret omnis in herba,*
*Quæ ſimul auſa ſolo ſurgere, cæſa cadit.*
*Tuq; adeò in primis viduæ ſpes altera Romæ.*
*Mors quot auos vno germine auara metit!*

## GERMANICVS.

*Romanis Aquilis pullus generoſus in oſtro*
*Surgis. iò is magnus gloria maior auis.*
*Ni Parca inuideat. inuidit, & abſtulit orbi*
*Mors Pullum eximium, vultur an hæc Aquilæ?*

## BELISARIVS.

*Te volitat circum pictis ſors candida pennis;*
*Et iaculo innodat laurea ſerta tuo,*
*Turpe iugum Æneadum fregiſti, & vincula Romæ.*
*Nunc Roma eſt, nuper magna Cataſta fuit.*
Gothos debellat.

## BOAMVNDVS
## Ad Martem.

*Purpureo in clypeo viridi quem laurea limbo*
*Ambit io, ferrea ſcalpe trophæa manu.*
*Pro cælo hîc gladius qui ſanguine ſtillat in hoſtem,*
*Sculpe, tibi allucet poſtera fama facem.*

## CONSALVVS MAGNVS.

*Vincis ebur, vincis violas, & candida vincis*
*Lilia, tam purus, pectora candor habet.*
*Et tibi fama nigros adnubilat inuida fumos?*
*Riſimus. an Lunam fuſcat ab igne vapor?*

## AMERICVS VESPVCIVS.

*Vndantem Americen, ſyluis curſuq; ſonantem*
*Oceani, ignotis eruis exul aquis.*
*Te duce ſi mundo mundus vetus inuenit orbem,*
*Veſpucio debet mundus vterq; ſuum.*

## ALFONSVS ALBVQVERCIVS.

*Lauricomos capiti liuor populatur honores,*
*Inq; tua infringit parta trophæa manu*
*Ipſa ſuum virtus pro lauro oppignerat aurum.*
*Quæ datur ex meritis, aſtra corona facit.*

## COLVMNA.

*Nox ruit. vmbroſo pernoctat veſper Eoo.*
*Occiduo Eoum fulget ab axe iubar.*
*Quà Turca erubuit de ſanguine decolor æquor:*
*Candida dat ſuruâ nocte Columna facem.*
Ad Actium Turcas bello nauali vicit.

## AVGVSTINVS BARBARIGO.

*Non eſt quod placeat ſibi Sparta, nec Attidos hoſpes,*
*Nomina in Ægæis ambitioſa fretis.*
*Si rurſum Ionio tumet ingens æquore Xerxes:*
*Alter & Eurybates, qui mare vincat, erit.*

SECVN-

# LIMBVS II. HEROINAE.

## DIDO.

*Prô pudor! inceſtum iam nomen Eliſa Maroni?*
*Purior intacta cui niue candet honos.*
*Parce meum violare decus. caſta inuida Byrſa,*
*Roma tuum id crimen, cui lupa lena parens.*

## ARTEMISIA.

*Pyramidas, Templa, atq; ingentia Mauſolea*
*Moliré auguſta cura ſuperba manu.*
*Pulcrius auguſto marmor ſtat pectore, viuá*
*Hac vrnâ, extincti pulueris ardet amor.*

Ampliſſimũ Mauſolo coniugi ſtruit ſepulcrum, & eius bibit cineres.

## ANCILLA HARMONIAE.

*Cadis heram, & ſeruam, quam diſpar mortis imago,*
*Illa cadit veri conſcia, at iſta doli.*
*Vera piacla loqui, ſi noxia digna ſecuri,*
*Non ſua quæ fingit crimina, digna mori eſt?*

Fingit ſe Harmoniam, cũ qua cæditur à Siculis.

## IVLIA.

*Quas ſibi finxit Hymen tædas concordibus annis*
*Mors habet. hinc orbis ruptus, & orbus amor.*
*Altera Troiugena Ciſſeis Iulia Romæ*
*Non par noxa. facem non pariendo parit.*

Cæſaris filia Pompeio nupta, cuius morte rupta concordia. Hecuba Troiæ facẽ peperit Paridẽ.

## IANA PVELLA.

*Lilia feſſa labant. ſtans geſo in vindice Amazon,*
*Erigit. inuidit Anglica Nympha decus.*

In

*Inſontem exurit. iam pulchrior igne Britanno*
*Lilia dum ſeruat, fit roſa virgo, rubet.*

Angli captam ceu ſagam non ſine calumnia cremant.

# ROTA FORTVNÆ

## PRIMA.

## TYRANNI.

### CLEARCHVS.

*Hem! quam vaſta tui tentigo & ſumen omaſi*
*Non ita vinoſo dolia ventre tument.*
*Hinc pudor. hinc caput exſertas ſine pectore truncus*
*Dimidio. nunquid curtus es herma vijs?*

Aſſere interpoſito ob abdomen nimium populum alloquitur.

### MARIVS.

*A folle ad ſolium te ſors temeraria, & error*
*Euehit. ut fato nobiliore cadas.*
*Te miſer ah cædet, ni cædis protinus hoſtem,*
*Ne male ſis incus, tu faber eſto tudes.*

Faber qui impoſitam pectori incudem ferat vix electus in Cæſarem, occiditur.

### ARBOGASTES.

*Tun' Domini verſare manus in ſanguine? noxam*
*Solue nocens, vitam tu tibi prædo rapis.*
*Ipſo ſupplicio Nemeſis tua peccat. & iſthac*
*Noxa pianda Reo. denuo poſce mori.*

Cædit Gratianum ſeſe ipſe interimit.

HERA-

## HERACLIANVS.

*Par iam penè Deo tumidus ſuper æquora Xerxes,*
*Dira gigantæo turbine bella tonas.*
*Sis memor, ira minax ſurdos ardeſcit ad ignes.*
*Penè Deus terris, mox cinis ibis aquis.*

Mille nauibus ſuccinctus Imperij faſces rapit. ilico victus.

---

# SECVNDA ROTA.

## POTENTES AVLICI.

## SEIANVS.

*Deſcendunt equites reſtemq; ſequuntur & vncum.*
*Innocuo vt lictor crura recidit equo.*
*Huccine tot curæ, vitæq; impendia, vt alto*
*Conſul lapſus equo, frigidus amne natet?*

Par pæne Tiberio, tandem euerſis ſtatuis in Tiberim protractus.

## ABLAVIVS.

*Aurea perpetua cudebas orſa corona.*
*Surpuit ah vitam perfida Parca tuam!*
*Quanta ſuberato mendacia tinnit in auro*
*Vanus honos! viſus ſpem dare, cuncta rapit.*

Dum ſperat ſibi afferri purpuram, cæditur.

## STILICO.

*Trama trahit tramam, denſatur vellere vellus,*
*De filo in filum tela perennat opus.*
*Purpura ſola deeſt. trabeam vis tingier oſtro?*
*Qui tingat gemina de nece ſanguis erit.*

Perit cum filio.

EVTRO-

## EVTROPIVS.

*Partus hones. primo diſpungis nomine faſtos,*
*Purpureumq́ʒ vehit ſella curulis herum.*
*Rurſus hias. ohe ſic præmia perdis honoris.*
*Immemor eſt parti, qui rapienda parit.*
Eunuchus conſul.

## MEROVINGORVM REGNVM.

*Sceptra, & fræna regit, equitumq́ʒ aulæq́ʒ Magiſter;*
*Viuit iners animal Rex phaleratus equus;*
*Sic equiſo regnat, quale ah nunc Francia regnum!*
*Nunc ſtabulum eſt, nuper regia clara fuit.*
Equitum Magiſtri loco Regum regunt.

---

# ORCVS DII

## PLVTONIS SOLIVM. DII MAGNI.

## XXX. Deorum Millia.

*Scrofa parit cælo. quot quæſo hic nomina diuum?*
*Mille dij? nugæ: millia dena? lyræ.*
*Dic ter dena. gemens tanta ſub mole laborat,*
*Nec iam ferre potis monſtra tot vnus Atlas.*
Ex Heſiodo & Euſebio Cæſarienſi.

## DII SAXA.

*Artificis digiti ludos, & inania ſomni*
*Ludicra, tun' credas talpa profane Deos?*
*O animal cœleſte, tuas ſi numina curas*
*Eſſe putas? iam te, non tua ſigna colas.*

## AVRATA IDOLA.

*Temne miſer pictis illuſa crepundia gemmis,*
*Quæq́ʒ micant fulua ſaxa beata coma.*

Nole

*Nolo tuum credas aliena peculia numen.*
*Quæ tua, crede tuos aurea dona Deos.*

# ORIGO DEORVM.

## SYROPHANES. filium conſecrat.

*Parca tulit Gnatum, Gnatum pater inſerit aſtris,*
*Iam Deus eſt. placat victima macta mero.*
*Id mors vt ſenſit, prorupit in æthera; & infit:*
*Me quæ gigno Deos, quis vetet eſſe Deam.*

## IVPITER PHIDIAE.

*Pro Ioue Phidiacum colit Elis adultera cælum.*
*Cui ſale farrato victima ſparſa litat.*
*Turbidus en fumus niueis adnubilat aris.*
*(Numen ebur) violat; non colit agna Iouem.*

## IVPITER SPARTANVS.

*Tu ne tange Iouem, quare non tango? gemella*
*Aure caret: nunquid furta luenda patrat?*
*Hæc potius patitur, fratri Ioui an abſtulit aures?*
*Prædo Lacon? dubitas? quattuor iſte gerit.*

Spartani Iouem colunt, quatuor auribus, vbi permiſſa furta.

## IVPITER LATIALIS.

*Dic bona verba ſacris quem tangit cura Quiritum;*
*Sacra litant; Agno? quem popa mactat, homo eſt.*
*Ergo hominumq; deumq; ſator vorat aſper alumnos?*
*Pro Ioue Saturnum neſcia Roma colis.*

Duos viuos homines in foro Romani Ioui Latiali defodiunt.

## IVPITER PISTOR.

*Tarpeiam lituus circumſonat hoſticus arcem.*
*Victa fame & bello Roma bis vna cadit.*
*Aſpulit Altitonans, ſed panibus aſpulit hoſtem.*
*Creuit honos. magno pro Ioue piſtor erit.*

## TERMINVS & IVVENTA.

*Termine cede Ioui, & tu cede Iuuenta. Tonantem*
*Deſpuet impubes hinc puer, inde lapis?*
*Vos metuo perdet Saturni gnatus: vt olim*
*Pro puero ſaxum perdidit ante Pater.*

## AD IVVENTAM.

*Quæ modò Saturno ceſſiſti victa ſenectâ;*
*Si ſapis, impubi cede Iuuenta Ioui.*
*Ille nepos vetulo patre fortior hoſtis & vltor.*
*Ni faxis; trifidâ te face reddet anum.*

## AD BACCHVM.

*Indorum domitor Graia te Bacche mitella*
*Cingis & è ſexu ſemiuir erro fugis.*
*Baſſaridumq́; choros trahis euanteſq́; triumphos.*
*Pro Baccho an Semelen mitra peplumq́; tegit?*

## HERCVLES.

*Vt Nemees terror fregit monſtra aſpra leones;*
*Infractis humeris vellera opima vehit.*
*Magnanimum vt vidit fulua ſub pelle nepotem*
*Iupiter; an duplex hic leo, an vnus; ait?*

## OSIRIS
## Ad AEgyptium.

*Linigero quate ſiſtra choro, quate pectora planctu.*
*Annuaq́; inuiſis numina quære ſacris.*

Sed

*Sed quid ego hæc demẽs? Memphis cur quærat Oſirim?*
*Quem reperiſſe ſemel, perdere ſemper erit.*

AESCVLAPIVS.

*Te memini vltrici flagrantem pectora telo,*
*Exſpiraſſe animam frigidulo in cinere.*
*Sed Clotho alba nouo deuoluit ſtamina fuſo.*
*Vis iterum ab cælo vindice fata pati?*

CASTOR.

*Nec Deus es nec homo. quid monſtri es? Caſtor an heros?*
*Orco is ſemideus, ſemihomoq́; polo.*
*Qui cælo ac Erebo te ſcindis; vt alter & alter*
*Dimidio viuas, totus vbiq; peris.*

# SCABELLVM DII PATELLARII.

PLVTVS.

*ILle ego ſum furuo non auius hoſpes Auerno,*
*Me refode: infodies te miſer ipſe ſolo.*
*Me ſi fers, grauo, & vro; tamen plus vro vel abſens:*
*Si non fers loculis, quem malè corde geris.*

AMOR NATANS.

*Neptuni vitreo flagrat Cypris improba regno:*
*Nudus Amor pinnâ remige ſcindit aquas.*
*Iupiter vre ſalum, nantemue extingue; vel ibis*
*Pro Ioue nunc Delphin, qui modo cygnus eras.*

LAPIS INFORMIS.

*Haud magis inſulſum quicquam, non vmbra figuræ,*
*Non pes, non pectus, non vola, & iſtud homo?*
*Imò Deus. quidni? ſi ſaxa informia numen:*
*Tu dijs nonne tuis factus es archetypum?*

IGNO-

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

## Ignoto Deo ſeu Deæ ſacrificium.

*Hoc age, dic cuinam tener agnus & agna litabit,*
*Siue Dea, ignoto nomine, ſiue Deo?*
*Neſcio. ceu lemures, ſi diui nocte vagantur.*
*Vnde ſacrum hoc noſcant, luceat ara facem.*

## FIDIVS.

*Pectore ab humano migrat & ſedet exſul ad aras*
*Cana fides: brutum iam niſi marmor erit,*
*Laomedontea rurſum periuria Troiæ*
*Tros caue, cui fidei ficta ſit vmbra fides.*

## PAVOR & PALLOR.

*Iam Pauor & Pallor, res o quam ludicra! Diui;*
*Numen inaurato quod boue Roma colat.*
*Cur non & Pudor hic Deus? occupat omnia Pallor.*
*Pallidulo Romæ quis foret ore rubor?*

## RIDICVLVS.

*Roma metu Pœni iam libera dedicat ædem.*
*Dic cuinam? ride ſannio. Ridiculo.*
*Ridiculo hic opus eſt alio, qui conſecret iſtum*
*Ridiculum. poterit ſic Popa & eſſe Deus.*

Liberata metu Annibalis templum conſecrat.

## TRES DII.

*Dic orci quid agat nigra Simia? faſcinat Indum.*
*Tres in Sole Deos, monſtra ter vna parit.*
*Nempe ter vnius mentitur Numinis vmbram.*
*Ad ſolem tricolor Sol id an iris erit?*

Iobri idolum apud Indos in tribus ſolis ſtatuis, quarum prima eſt Patris Aponit, ſecunda filij Caniti. Tertia fratris Intiquaoqui. ſic e Chagulla, excudunt tres Deos tonitru quos ceu fratres efformant pariforma, eſt & aliud idolum

ſum Tangatanga vniter triplex & tripliciter vnum. *Acoſt. lib.5. cap.28.*

## DEVS MEXICANVS.

*Eſt Deus inſanos qui ludit ad orgia ludos*
*Ludatîo, aſſequitur gaudia clauda dolor.*
*Ipſe equidem, tali nolim me credere mimo.*
*Qui Deus hîc, flebit victima opima Deo.*

Mercatores emtum de lapide mancipium, Dei ſui habitu induunt, ſaginant, adorant, in pompa circumducunt, interim noctu tetro incluſum carcere fida ſepiunt cuſtodia, tandem bene pinguem & opimum loco altiori immolant. *Acoſt.*

## CAESAR DEVS.

*Buſta flagrant, ſudo nouus emicat ales amomo.*
*Itale, dic, Phœnix Cæſar an ergo tuus?*
*Crede Deum. en cælo Iouis inuehit armiger ardens:*
*Hunc volet æthra Deum, cui rogus orcus humi?*

## AQVA & IGNIS DII.

*Tu ne falle Deos, ſin: merget Nympha fluento;*
*Aut edet vltor atrox Ignis; & ille Deus.*
*Ambo Dij, ambo reos plectunt fato impare; nugæ.*
*Si Deus vrit edax, me Dea ſeruat aquis.*

Perſæ hos colunt Deos.

## NVMVS.

*Si Pauor, Ira, Furor, Pallor, Diſcordia, Febris,*
*Ganeo, Fur, Miles, Prædo, Cupido, Dij:*

*Sit Deus & Numus, cur nemo huic dedicat aram?*
*Vrbs, cælum, & templum eſt diuite plena Deo.*

## DII AEGYPTIORVM.

*Stellanti delubra ſtupes certantia templo*
*Cælituum & fuluo tecta ſuperba tholo?*
*Maius ineſt monſtrũ. Deus hîc canis, hircus & anguis.*
*Monſtra dij? hîc hominem quis neget eſſe pecus?*

## Aegyptus Deorum hoſpitium.

*Grande nefas! pulſi cœlo, terra, æquore Diui:*
*Hoſpita ſed pulſis iam Pharos aula Diis.*
*Euge bonũ factum! ſi ſic Memphim aduena cõplet.*
*Exulat ipſa domi; quis locus indigenis?*

---

# THALAMVS. DEÆ.

## Ad Matrem Deorum.

*Dindymene domita fractos ad fræna leones*
*Magna Deûm mater ducere digna feras.*
*Sed quid ſemiuirûm tibi cum grege? miror inermis*
*Ni leo tot gallos ad tua fræna fugit.*

## Leones ad currum Cybeles.

*Magnanimos franget Cybele ad ſua fræna leones?*
*Prô pudor! imbelli regia colla iugo?*
*Semiuiros inter leo? nec timuere minaci*
*Dente feram. gallos plus leo nonne tremit?*

## PALLAS.

*Nixij adeſte Dij, fer opem Luſcina Tonanti.*
*Pro Ioue fœtus erit Marſpiter. arma parit.*

*Pullulat*

*Pullulat & virgo prægnanti creta cerebro.*
*Iupiter an Iuno? parturit ille Deam.*

## FORTVNA.

*Publica perſto foro, ſanctum fortuno Senatum.*
*Incolo priua lares, ſoſpito diues heros.*
*Viſcata inſidior, ludo temeraria, nulli*
*Fida loco, conſtans ſum Dea in Vtopia.*

## VIRTVS ET HONOR. ad Romanos.

*Quæ Dea, ſiue Deus fumantes inſtitit aras,*
*Cui terno digito ter tria tura litas?*
*Hic Honor & Virtus. næ tu gens improba & amēs*
*Cui ſaxo Virtus viuit & eius Honos.*

## QVIES.

*Otia ruris amans, vrbanúmque oſa tumultum,*
*Emigrat vrbe Quies. quàm bene diua ſapit.*

## MOMVS.

*Rus an deſidiæ regnum? hîc ſpinoſa laborum*
*Stat ſeges vberior. deſipit iſta Quies.*

## Cur Pacis Templum citò exuſtum.

*Iam tandem Æneadûm pax ſera irrepſit in arces,*
*Et furtim Iani limina ahena terit.*
*Vix ſtetit hîc, irata ſuas mox deſerit aras.*
*Vltima quòd diuûm venerit, ira coquit.*

## CONCORDIA.

*Diſſiluit rupto vecors Concordia nodo:*
*At bene concordi iam litat ara Deæ.*

*Pacalis quid agis diua hîc? migra vrbe Quiritum.*
*Aut Pauor expellet. tu Dea? at ille Deus.*

Vbi olim Gracchi ſeditio, exſtructum Concordiæ templum.

## Felicitati nuſquam ara.

*Flora, Quies, Pallor, Febris, Pauor occupat Vrbem,*
*Et Sors cæca ſedet mille litanda ſacris.*
*Et de tot nullus tibi fumus & angulus aris?*
*Quæ das cuncta dijs, cur tibi templa negas?*

## FLORA.

*Nympha potens veris, Zephyro denupta, pudicâ*
*Fronde nemus, caſto flore maritat humum,*
*Scilicet hoc credat fatuus ſine pectore fungus,*
*Ver an Flora parit, cui ſine flore pudor?*

## CVNINA.

*Puſio dulce ſonans lallat pappatq́; minutum*
*Arride & trepido diſcute ſpectra thoro.*
*Plorantemq́; agita, ſi dignum id numine munus.*
*Et pueri ad cunas pupa quadrima Dea eſt.*

## CLOACINA.

*Templa Cloacinæ quæis tus ſine ture mephitis,*
*Phy quanta hæc peſtis! putida Roma colit.*
*Plus nemo diuum colitur. ſi fana cloacæ.*
*Aſſiduo Tiberis ſacra ſub Vrbe facit.*

Tota vrbe ingentes ſunt cloacæ Tarquinij opus, in quas reſtagnans Tiberis, euerrit ſordes & ſecum in mare euehit.

VIR-

### VIRGO MACTATA DEO.

*Crede tuam diuum in ſobolem rex inclyte gnatam:*
*Pulchra Deûm pulchro germine mater erit.*
*O Superi! dabit ara faces, dabit arma furori*
*Hæc Dea? Vah diſcors filia, erinnys erit:*

Mexicani duce Mexi exſules diſcordiæ deam quærunt quæ ſit Dei Mater. abs Rege Chulhuacan filiã impetrant quæ ſit Regina & Dea, eam poſtera nocte iugulant & iam Deam dictam Topi ſacello obſcuro includunt, quò parentem inuitant, qui filiam iam Deam adoret. hæc inter ecce foco extincto repertè ignis emicat, filiæ agnoſcit cædem, nec mora, Mexicanos pæne ad internecionem delet, *A coſta 7. cap. 6.*

### CEPA.

*Allia quot numerat Iſis Nilotis in horto,*
*Tot peperit Nilo putida gleba Deos*
*O ſanctæ gentes queis terra puerpura diuûm!*
*Si ſic numen olet Cepa, quid hortus erit?*

---

# PHLEGETHON.

## SACRIFICIA.

### SACRIFICANS IDOLO.

*NVnc curuo latus orbe rotas, nunc cernuus imâ*
*Sidis humo, aut libas ſupplice vota genu.*
*At cui quæſo Deo? cui viuo è marmore vultus.*
*Abſens præſenti es, te nihil ille videt.*

## DII PERNICIES OVIVM.

*Euge bonum factum! grex totus it hoſtia Diuis.*
*Pro Ioue, crede mihi, paſcet ouile lupum.*
*Quid refert Deus anne lupus ſiet iſte Lycaon;*
*Si modò quas ſeruet, ceu lupa perdit oues?*

## Profani Sacris arcentur.

*Ne quiſquam incerto temeret ſors crimine Diuos;*
*I procul, aut viuo flumine tinge caput.*
*Turba profana foras. nemo hîc niſi purus & inſons.*
*Dic ergo quid agant, queis litat ara Dij?*

## HECATOMBE. Ad Iulianum.

*Vrit auara fames incœni Numina cœlo.*
*Non pilus hîc cerui, cauda nec vlla bouis.*
*Paſce Deos, iugulas, lanias, coquis, ingeris agnos*
*Mille Ioui. Cæſar vis coquus eſſe Deûm?*

## FEBRVA.

*Februa mitte puer, priſcus Numa iuſſit Auerni*
*Exſangui populo Februa mitte puer,*
*Mitte fabas. Numa Pythagoræ ſui an immemor*
*errat?*
*Queis nigra cauda, fabas vult auus ater edat.*

Putant quidam Numam à Pythagora ſuas cerimonias hauſiſſe. an ita ſit viderint Chronologi.

## SACRIFICIVM.

*Communas numera. ni fallor, terna Deorum*
*Myrias accumbit, queis coquit ara dapes.*
*Quos ſua non ſatiant toto domicenia cælo,*
*Ter mille vna putas paſcet an agna lupos?*

## Ad Iulianum.

*Omnibus ara locis calet, omnibus ardua condis*
*Templa locis, omni victima in igne calet.*
*O pietas! demens quid garris pupule? an aras*
*Relligio? an luxus relligioſus habet?*

## Ariſtomenis Meſſenij Sacrificium.

*An ſileam? irarum fluctus rupêre palatum.*
*Eloquar. humano prolitat ara ſacro.*
*Quid mage inhumanum? non æquis parce querelis.*
*Nil æquè humanum, quod coquit ignis, homo eſt.*

Trecentos Ioui immolat.

## Pœnorum Sacrificium.

*Hoſtili vt vinxit te Trinacris haſta coronâ,*
*Pro Ioue Saturnus quos paris orba vorat.*
*Et teneros (crudele nefas) amburit alumnos,*
*Plus tibi quàm Siculus Falcifer hoſtis erit.*

Ærea ſtatua Saturno erecta fuit Carthagine, cuius candentibus in brachiis nobiliſſimos Pœni liberos immolant duriſſimo cruciandos leto. interim tympanis & fiſtulis ardentium gemitus, lacrymaſque parentum exſurdant & fallunt.

## Sacrificium Mexanicum.

*Myſta Deûm tremulis rapit exta micantia fibris,*
*Et Soli (ille Deus) fumida corda litat.*
*Et ſcelus hoc pietas? diram Sol conſcius aram*
*Erubuit. cæcâ lumina nube tegit.*

Cor viuo homini eripiunt, & adhuc fumans Soli oſtentant.

## SACRA OBSCOENA.

*Aethra tonat, placas, infami minima ſacro*
*An decus hoc? diuos fœdat adulter honos?*
*Irato potius malim te viuere cælo:*
*Quam ſic placato probra litare Ioui.*

## CANDIDA AGNA.

*Eximit ara gregi lectos de more bidentes,*
*Quos ſacer intacta de niue candor habet.*
*Et cui quæſo? Iouine? & quis Ioue fœdior hircus?*
*Tam pura impurus polluit exta Deus.*

## BIDENS SACRA.

*Vix niueo ereptat gremio flos laneus agni;*
*Et cadit immiti candida turba neci.*
*Naſcentem ecce gregem cædit popa, decoquit, vrit.*
*Quid? naſci innocuæ num graue crimen oui?*

## PROSICIE.

*Cocta Dij priſcâ mandebant exta iuuentâ.*
*Nunc vetuli & lippi viſcera cruda vorant.*
*Credo graui ſenio ſtomachus iuueneſcit, & eſu.*
*Et quiſquam æternos non putet eſſe Deos?*

## CAVDA DIIS CEDIT.

*Das partem Superis, ſeruas tibi cætera. ſiccum*
*Aethra penu eſt, toto de boue paſce Deos.*
*In ſortem niſi cauda cadit decus vtile diuis.*
*Anne Dij curto tergore ſimioli?*

## LITATVR.

*Agna flagrat. dias diuûm pater olfacit auras.*
*Et vel abuſq; polo pabula odora bibit.*

Quan-

*Quantus iô hic naſus, qui tangit in æthere odores.*
*Pro Ioue naſutum num colit ara canem?*

# RITVS.

## APOTHEOSIS.

*NVnc exſors animæ corpus deſidit in ignes.*
*It pernox animus præpete ad aſtra gradu;*
*Iam Deus & Cæſar. pars flamma viuit & orco;*
*Pars cælo. anne Italum Caſtora Roma parit?*

## NVMA.

*Ante diu vacuo tranſcripſit numina cælo*
*Rex Numa. par magno cum Ioue numen aget?*
*Dic etiam maius; cur non & regnat olympo?*
*Quam tot dîs implet, non habet æthra locum.*

## CYBELES STIPS.

*Cymbala rauca quatit, quatit & caua tympana mater*
*Magna Deûm. largâ deplue dona manu.*
*Gens ingrata Dij, quam non aluêre parentem;*
*Paſce Deam. & diuis ac Ioue maior eris.*

## Cur ſacris coronæ.

*Serta Dij, popa ſerta gerit, gerit hoſtia ſerta,*
*Myſta gerit violas, & gerit ara roſas.*
*Et quis non? vinctis cur omnia vincta corollis?*
*Sacra Deum exequiæ, mors mera nonne Dij?*

## Cur ſacrificis vnguentum.

*Myſta Deûm en rorat bibulis opobalſama cirris.*
*Aura coronatis ſpirat anhela comis.*

*Cur geniale caput pingui hoc ſcelus vngit oliuo?*
*Aptior vt Stygiis ardeat eſca rogis.*

## MANALIS LAPIS

*Verrite Manalem ſitientia in arua coloni;*
*Supplicat Elicio Flora Ceresq́ Ioui.*
*Quos negat æthra, lapis riguo dabit vbere nimbos:*
*Dic mihi, Saturni num Iouis imber erit?*

Dum nimia eſt ſiccitas, lapidem in agros ruſtici deuoluunt, vnde pluuiæ eliciuntur.

## Sacerdos ſe expians.

*Turpe caput fœdo ſubiectas Myſta theatro.*
*Vnde bibas Diuûm pocula. laudo ſitim.*
*Quis non inuideat? ô felix cœna! rubenti*
*Nectare te paſcis. vin' popa & eſſe Deus?*

Infulatus Sacerdos in foueam deſcendit, è qua hianti ore excipit victimæ cruorem per cratem diſtillantem. *Prudent.*

## Martis Sacerdos.

*Scinde miſer pectus, ſicâ concerpe lacertos,*
*Deq́ tuo liba ſanguine triſte merum.*
*Cruda ad ſacra tuo placabis vulnere Martem.*
*Si Diuûm iſtud amor; ſæua quid ira facit?*

## VESTALIS.

*Troiugenûm ardenti ſacer excubat ignis aſylo:*
*Excubat & Virgo paſcere docta Deam.*
*Quid folli & peplo? vin' flama perennis vt aſtrum*
*Luceat? hoc cinifloſtet vigil vſque foco.*

## Venatio Perſarum.

*Sacra facis noxis non tantum noxia: quantum*
*Ridiculo miſeris nata nocere feris.*
*Quantumuis ſiluas popules, quas pectore paſcis*
*Vſque domum referes horrida monſtra feras.*

Venantur feras, quaſi ſic vitia expient.

## LVSTRATIO

*Squilla, ſalis grumus, vellus, fax, ſulfur & ouum*
*Expiat irato crimina inulta Deo.*
*Grata putas ſulſur luſtrale piamina Diuis?*
*Irritat potius. nonne Mephitim olet?*

## Luſtratio Nauium.

*Vt prora vndoſis obuertit cornua campis:*
*Surgit arenoſo flama ſuperba vado,*
*Et ſuperiecta cadit funeſto victima ferro.*
*An cruor albentes expiat ater aquas?*

## EXPIATIO.

*Putidilis ouis & ſulphure crimina luſtras?*
*Stulte putas iſto munere an empta ſalus?*
*Irritant potius quam placant februa diuos.*
*Quo ſcelus omne pias, tartara ſulphur olet.*

## Furti Piaculum.

*Vda tibi laurus, lauro vis ſpargier vdâ.*
*Sic lauat inceſtum porta Capena caput.*
*Mercurioq; litas meditans periuria & aurum.*
*Te merge: & noxam ritê piabis aquis.*

Circa portam Capenam furta, & periuria eluunt improbi ad fontem Mercurio ſacrum.

## ARA IOVIS.

*Victima vt ingemuit diræ votiua ſecuri;*
*Sponte Panomphæo deflagrat ara Ioui.*
*Prodigium id. ſterili diuûm pater eſurit æthra,*
*Quid mirum, eſuriens ſi coquat ille bouem?*
Ara ſponte accendi ſolita.

## AD PYTHIAM.

*Aut Lauro, aut antro ventos ſpirante loquaces*
*Doctus Apollo ſtrophas, nomina magna ſonat.*
*Et plus Sphynge vafer cæco implicat omnia velo:*
*Quid tibi cum Phœbo? plus opus Oedipode eſt.*

## ARA DELPHICA.

*Oedipodionys par Phocis an area Thebis?*
*Sphynx certè hic. ſurgit Pythia mane bipes.*
*Deinde tripes (tripodem dic Phœbi) ſiſtitur antro.*
*Et tandem quadrupes quæ litat agna, cadit.*
Par Sphyngis enigmati.

## LVCERNA VENERIS.

*Cyprigenam pernox cur flamma ſatelles ad aram*
*Excubat? & lumen ſideris inſtar alit?*
*An mœchæ fauet ergo ſuæ Vulcanus? adulter,*
*Ne Veneri obrepat, Zelotypo igne cauet.*

## AVGVRIVM.

*Quod felix fauſtumq́; ſiet dic augur; ouanti*
*Vutture quid furuus crocitat oſten hero.*
*Neſcio fatidico quid garriat ore; ſed vnum*
*Hoc ſcio, non ſanum te canit ille caput.*

VESTA-

## VESTALIS SVPPLICIVM.

*Grande neſas! cuſtos æternæ peruigil vrbis.*
*Occidit. i cæco virgo ſepulta ſolo.*
*Cum face vitaï mors lucem extinguet. ad ignis*
*Exſequias ibit Veſta bis orba mori.*

Vbi ignis Veſtæ occidit, Veſtalis virgo defoditur cum viua lucerna.

## METELLI PIETAS.

*Solicitos cingunt Vulcania caſtra Penates,*
*Et piceâ circum mors furit in nebulâ.*
*Eruis, & ſeruas penetrália numina, fidus*
*Iam Laribus cuſtos. num quoq; Præſtes eris?*

Flamâ Penates eruit.

## Senator Iſidis factus ſacerdos.

*Iſis vt obliquo percuſsit pectora ſiſtro,*
*Patricia in trabea ſacra deamq; geris.*
*Næ tu iam felix aſinus, grauis ante Senator.*
*Qui ſacra circumfers, & cui agaſo Dea eſt.*

# ORPHEVS.

## FABVLAE.

### HOMO.

*CVra fluentiſono dũ littore oberrat, adumbrat*
*Membra luto, in venis ab Ioue vita calet.*
*Surgit homo, cuium iſtud opus? dic arbiter æqui.*
*Tres ſibi amant partes, non habet vna trium.*

Cura dum vagatur in litore, fingit è luto mẽbra, Iupiter afflat calorem, certatur cuius ſit homo

[an Curæ, an Terræ, an verò Iouis?

## SATVRNVS.

*Nullius? immo trium. comes it pede Cura nigranti.*
*Nomen adoptat Humus; dos homo ſacra Ioui.*

## AD GIGANTEM.

*Pube tenus ſinuant mordacia crura draconem,*
*Cetera membra gigas: mens cui tota ſcelus.*
*Si tibi pro telo tellus, mons lancea & ornus:*
*Et tibi buſta dabit, qui dedit arma parens.*
Sepultus monte quem iaculatur.

## AMPHIARAVS.

*Armato attonitos exſternat funere manes*
*Augur eques, furuo quà via rupta ſolo.*
*Perſephone furuo cum coniuge pallat, an alter*
*Nunc Pluto, ad Lethen Amphiaraus abit?*

## DEVCALION.

*Daucalionæo Nereus tulit omnia ponto.*
*Nunc viduo eſt ingens lacryma terra ſolo.*
*Deucalion magnam lapidat cum coniuge matrem.*
*Natus homo eſt? erro. ſaxea ſigna parit.*

## ICARVS.

*Icarus audaci mundi ſecat ardua pennâ;*
*Aërias Phœbus non tulit ire vias.*
*Fulminat. ille cadit. decus ô quàm nobile leti!*
*Sol cui pro telo, mors Deus, vrna ſalum.*

## NARCISSVS.

*Fons erat, aſpexi, mihi riſit imago loquaci*
*De vitro, vmbra fuit. inſequor, vnda rapit.*

*Flos*

*Flos ero. vti fratres. cur non & mutor in vmbrā?*
*Cur mihi vita foret, quæ dedit vmbra mori?*

NIREVS.

*Me mihi quis rapuit? vultum quis diuidit hoſtis?*
*An peperit Nireus Nirea? an vnda rapit?*
*Hîc vnum in gemino dic Nirea viuere Nireo.*
*Altera pars terris, altera viuit aquis.*

AMPHION.

*Exſtruit Amphion celſas Pandionis arces.*
*Dic vbi trulla, faber, calx, ruta cæſa, lapis?*
*Ad citharam exultans docili coït agmine murus.*
*Qui fabræ artis opus, num lapis ergo faber?*

AD MIDAM.

*Fercla molis? crepitat durum ſub dētibus aurum.*
*Vina trahis? flauo durat in amne liquor.*
*Quis furor hic? durum cœnas tener ille metallum,*
*Pro dape, pro Baccho vulnera dentis edis.*

Fax Troiæ Amor.

*Longa decennali voluens incendia bello,*
*Vt Simoïs ſalſis funera merſit aquis,*
*Illacrymans dixit, quantum ô fax lena furorem!*
*Tot ſi blandus amor, quot dabit ira rogos?*

PARIS.

*Vt pætos Helenæ bibit hoſpes adulter ocellos;*
*Arſit amans, geminaſq; hauſit ab ore faces.*
*Hinc Aſiam, Europamq; vrit vis ignea bello.*
*Quàm ſæuum è blando ſidere fulmen ijt!*

VLYS-

## VLYSSES.

*Vnius inceſtas ob tædas, tota ſub armis*
*Sudat, & Ionijs Græcia currit aquis.*
*Plus Laërtiades ſapit. Vnco incumbit aratro.*
*Pro remo it vomis, pro ſalo aratur ager.*

## BELIDES.

*Illigat Inachiam diro labor orbe coronam.*
*Haurit, at hauſta cado perfida lympha fugit.*
*Nec fugit aucta grauat, duplex fluit vrna dolore.*
*Vna manu, pluuijs altera it vnda genis.*

## NIOBE.

*Viuit adhuc ſudo glaciale cadauer ab Auſtro.*
*Num fallo? en pluuio marmore delacrymat.*
*Si Nioben gelido durat mors aſpera ſaxo:*
*Cur non & lacrymas ſaxea vinxit hiems?*

## IO.

*Ipſa ſibi nauis, ſibi remus, & ipſa magiſtra.*
*Humentes bifido bos ſecat vngue vias.*
*Obſtupuit Nereus viæ ad inuia; & anxius infit:*
*Quis ſcit an & cælo Dædalis ala vehat?*

## HELENA.
### Ad Paridem.

*Digna rapi mulier, Phrygia quam deuehis alno;*
*Non tu qui raperes crimina, dignus eras.*
*At vis hæc ſine vi. res Tyndaris obuia prædæ.*
*Rapta ſemel, rurſum ſe dedit ipſa rapi.*

HELE-

## HELENA, AD SPECVLVM.

*Rapta bis ante proco, ſe Ledæ vt filia ſero*
*In ſpeculo aſpexit, ter ſibi viſa rapi eſt,*
*Inq; Helena quærens Helenam, ter adultera vitro*
*Se rapit. anne ſibi eſt Tyndaris ipſa Paris?*

# FIGLINA, HOMO,

## In quo Teſtæ tres.

## I. TESTA. NATIVITAS.

### GORGO.

*Mors & vita breui ſe limite diuidit. vno*
*Fœta parens, vno Parca nouerca die eſt.*
*Lacteus ardenti de funere pullulat hæres.*
*Quod dedit huic, iſti mors male auara rapit.*

### CROESI FILIVS.

*Hoſtis adeſt, capiti ſuperemicat arduus enſis,*
*Et ferit. exclamat, vox cui nulla, puer.*
*Vinculaq; abrupit, qui ſuetus perdere vocem*
*More lupi, linguam reddit ab hoſte timor.*

Captis Sardibus, Perſa dum in Crœſum enſem vibrat, filius mutus exclamat.

### MATER SANCII.

*Exſtimulant vterum matura crepuſcula, vitam*
*Mors ægro incluſit inuidioſa ſinu.*
*Effodit haſta latus, parit icta puerpera leto.*
*An parit hæc vitam, mors cui facta parens?*

Dum

Dum Arabes iam grauida fugit, accepto per latus vulnere, vt fertur, Sancium parit.

### SANCIVS è vulnere natus.

*Vinctus ego, huc cæco luctabar carcere. mater*
*Icta cadit telo velite; fixit Arabs.*
*Quâ datâ portâ ruo; prægnanti è vulnere vitam*
*Mors parit. hoc naſci num ſine morte mori eſt?*

### Puer è buſto matris enaſcens.

*Vritur orba parens, puer vſta ebullit ab aluo.*
*Parca rogo cunas blanda ſeuera dedit.*
*Quod genus hoc leti? qui necdum limina vitæ*
*Attigit, effertur. mors an & igne parit?*

### Vſo natus Vrſa.

*Scire velim quid ſis, hirto quem concipit vrſo*
*Fœta parens. Num tu belua, an hirtus homo?*
*Non fera, non hîc vllus homo. dic neutrum & vtrumque*
*Semiferam q; hominem, ſemi hominem q; feram.*
Si fas ſit credere.

## TESTA SECVNDA.

## VITA.

### THRASYLLVS.

*Diu fatue felix quotquot vehit vnda carinas,*
*Credidit ire ſuas, Morio cæcus, opes.*
*Vt ſapienter inops emerſit diuite ſomno,*
*Fleuit. nunc ſano plus opus Helleboro eſt:*

LYN-

## LYNCEVS.

*Trinacrio Byrſam proſpexit ab vſque Pachyno,*
*Neſcio quis ſpeculæ præſes & hoſpes aquæ.*
*Mille ſali in ſtadiis metantur lumina viſum.*
*His breuis immenſum fit maris æquor ager.*

## PALLADIVS.

*Panè pari cum ſole fugis pede, & ocyor ala*
*Pegaſea gemino voluis in orbe diem.*
*Eoo occaſum biſſex qui iungis in horas.*
*Immenſum imperium rus breue pænè facis.*
Viginti qaatuor horis Byzantio in Syriam currit

## LADAS.

*Præpes vbi volucri libat pede curſor arenas,*
*Stat teres herba, breues criſpat ariſta comas.*
*Pænè fugam dum ſpecto, fugit me nomen, an iſtud*
*Ladas? ritè mones. ventus an ales erat?*
Curſor celerrimus.

## ARCHESTRATVS.

*Vis trutina expendam quanti ſis ponderis hæres?*
*Non vir, es vmbra viri, corpore corpus abeſt.*
*Te nuce nullus emat, & vino prodigis aurum.*
*Carius os toto corpore potus habes.*
Homo minimi ponderis, alioqui ebrioſus.

## CINESIAS.

*Tu leuior folio ſucci ſine pondere, in auras*
*Raptus abis, volucrem ceu rapit aura pilam.*

*Nempe*

*Nempe tibi exſuccis vix ſanguinis vncia membris.*
*Vnde igitur bilis pæne vel olla tumet?*
Cineſias philyra ſe fulcit & obuincit ne cadat, homo iræ obnoxius.

## PHILOETAS.

*Anxia ſupplantas tardo veſtigia plumbo,*
*Infrenaſq́; leues pondus inane pedes,*
*Næ tu vanus homo es? volucres qui turbinis alas*
*Sic tremis, vt credat te leuis aura pilam.*
Philætas Cous. Athen. 12. *Deipnoſ.*

## MAGO.

*Errat inops lymphæ Garamantide Pœnus eremo.*
*Vda famem, placat vda polenta ſitim.*
*Nec ſitit ambuſtis ſine fonte viator arenis.*
*Quam negat vſta parens, fons Mago, & vrna ſibi eſt.*
Africam peragrat ſola cum polenta.

## Ferrum natum in pectore.

*Duruit humano (mirum ô) ſub pectore ferrum.*
*Quis molli excudit dura metalla ſinu?*
*Ante figlina luto, nunc fit ferraria pectus:*
*Et quis miretur ferrea corda virum?*

## Rex Franciæ ſtrumas ſanat.

*Exime, quid ceſſas, nodoſo gutture peſtem,*
*Nil opus hic auro, ſtat tibi inemta ſalus.*
*Rex Medicus. tali quam felix ſtruma ſalutis*
*Vindice: in hoc Reges vincis egene tuos.*

CICER.

## CICER iaciens.

*Quænã hîc cura calet! quæ maxima: ſcilicet arcto*
*In milio ſolers nobile ducis opus.*
*Tangis acu quicquid vis tangere: nonne puſillæ*
*Sors ea formicæ: cui niſi grana labor?*

---

# TESTA TERTIA, MORS.

## Febriculoſus tota vita.

*Centena in glacie, alternoq́ recurrit in æſtu*
*Vita tibi, flammas inter, & inter aquas:*
*Et te diu longos decurrere credis in annos.*
*Viuere ſic morbos, diu mihi crede, mori eſt.*

## SENECIO.

*Solicitos agita fœcundo in pignore numos,*
*Saturni ad falcem te breuis hora metet:*
*Centuſſem & fenus lentus ſi temperat annus.*
*Cur mors non tardo fenerat orbe diem?*

Repentè obit vir ditiſſimus.

## HILARVS.

*Ducebat Hilarus criſpo ſub flore iuuentam.*
*Subrepſit nebulis mors adoperta caput;*
*Et ferit incautum thyrſo florente Lyæi.*
*Purpureo an gaudî mors nigra fonte natat?*

Corollâ vinctus repentè in cœna cum patera diriguit.

FVL-

## FVLCO.

*Denſa Palæſtinis ibant venabula campis;*
*Ante pedes leuipes emicat vmbra lepus.*
*Fulco premit, fugit ille; cadit rex mitior agno.*
*An lupus iſte lepus? heu malè perdit ouem.*
Rex Ieroſolymorum mitiſſimus.

## FREDERICVS.

*Debuerat ſicco me condere terra ſepulcro;*
*Mergit aquis, ſtagno fluxa fauilla natat.*
*Quid refert cinis an limus ſim fluminis hæres.*
*Qui iam limus aquis, mox cinis aſtra ſequar.*
Perit natans.

## DVFFVS.

*Vita fugit, cæcos corpus diſtillat in ignes.*
*Te coquit abſenti cera maligna foco.*
*Mortis opus. quid non orco licet? hic vbi nuſquam*
*Mors aut flamma; rogo fax iubet atra mori.*
Saga eius effigiem dum torret è cera, malè afficit.

## HESCHYLVS.

*Tecta caduca fugis, puro ſtat viuere campo,*
*Sors ſi cæca velit, vrbs tibi campus erit*
*Rure cadit teſtudo, domus cadit ardua conchæ,*
*Te necat iſta domus, mors tibi vbique domi eſt.*
Monetur vitare ruinam tecti, interim dum ſpatiatur in agro, aquila in caput teſtudinem demittit.

ANA-

## ANACREON.

*Cautus aquam vitas, vitas mare, & humida leti*
*Flumina, vitantem mors tulit hauſta mero.*
*Quid iuuat vndoſo mortem vitare ſepulcro,*
*Naufragium in terris ſi tibi & vua facit?*
Acino ſtrangulatur.

## REX ARAGONVM.

*Lude miſer, ſolâ mors inſidiatur eremo,*
*Retiaq́; infido texit operta ſolo.*
*Ecce lupi nigra ſpectra, lupi ſpectra horrida ſiluis.*
*Mors ſi cæca velit, vel nemus orcus erit.*
Rex Aragonum luco Foxano venatur, obuio lupo ceu ſpectro conſternatus, vita excidit.

## Impius in venatu occiſus.

*Inde Cupido iacit, iacit hinc Dictynna ſagittas;*
*Ille thoro flammas, hæc parat arma feris.*
*Mors addit ſua tela; ſonat nemus alite ferro.*
*Te tres venantur; credo ter vna fera es.*

## Baſilius in venatu occiſus.

*Nos ferro, nos præda feris. obnoxius orco*
*Sanguis homo, & diræ victima prompta neci.*
*Vel Regem vmbroſo mors ſi occupat auia ſaltu;*
*Imbelli populo dic vbi in vrbe ſalus?*

## GVILLELMVS RVFFVS.

*Purpureus viridi ludit venator in vmbra,*
*Mors nigra ſurrepit, & ſibi vela legit.*

*Vena-*

*Venantemq́ ferit. Dictynnæ ſpicula miſit.*
*Mors ſua crediderat. fallitur? icta fera eſt.*

## Cur Tullio ſectus iugulus.

*Quæ Tullî ambroſijs inſedit ſuada labellis,*
*Vel ferream poterat flectere blanda necem:*
*Non flexit. vox blanda nigras ne fortè ſorores*
*Dulcè trahat, rupit mors fera vocis iter.*

## MORS CLEOPATRAE.

*Appetit obliquo ſerpens te noxia morſu:*
*Serpit iners ſurdo vulnere, & igne gelu.*
*Mors comes it ſomno, ſomniq́ in imagine fallit.*
*Non moreris; fratri nubit amica ſoror.*

## LVDOVICO FILIO PATER.

*Sternaci reuolutus equo in veſtigia præceps*
*Conſtitit, inq́ caput, qui mea ſceptra gerat*
*Improba ſic Regum ducit de ſtrage triumphum*
*Parca; ſed inuerſo cæca triumphat equo.*

Ludouicus Franciæ Regis filius equi lapſu perit.

## EMMANVELI COMNENO.

*Biſſeptem ſperas fatis voluentibus annos;*
*Sed malè ſperantem parcior hora rapit.*
*Soluere nempe fidem ſol dum feſtinat; vt annos*
*Tot numeret; cæcis excidit antè rotis.*

## BASSIANVS LANDVS.

*Nox erat in curſu, medici decus ille theatri*
*Occidit: incauto ſica ſtetit latere.*

(Dictu

*(Dictu immane nefas) tua ne fors gaudia ſpectes*
*Morte rapi; an ſeros Phœbe moraris equos?*

Baſſianus Landus Medicus & Philoſophus clariſſimus 24. Octobris 1562. ante ſuas fores ab ſicario iuſſu Patricij Veneti ſeptem cæſus vulneribus.

## Effigies viri.

*Vir ferro occubuit rediuiua recurſat imago:*
*Vindice carnificis non bene picta manu.*
*Sic iterum viuit, mors quem tulit aſpra ſecuri.*
*Viuere an hoc? rurſus dic ſine morte mori.*

In Gallia plexus reus capite, cuius occiſi species in manu vxoris poſtera nocte expreſſa.

## Spina faucibus hærens.

*Squamea dum cœnat quis neſcio fercula ad obbam:*
*Incautam admordit deuia ſpina gulam.*
*Quem non mors pungat tot ſpinas inter & hamos,*
*Quos ferit armato terra nouerca ſinu?*

Comitis de Pina Aragoniæ Proregis filia.

## MVSCA.

*Fortè bibit muſcam quis neſcio fluminis hoſpes,*
*Illa hæſit arctis inſidioſa vijs;*
*Et iugulat. tenuis quid ſpirat grandia puluis,*
*Si iam victa, potis vincere muſca viros?*

## Puer ad ſpeculum obiens.

*Arriſit puero cryſtallo fuſilis orbis:*
*Fallaci ille legit oſcula panda vitro.*
*Immoriturq; o fata! nouum dic Nirea. ſicca*
*Occidit hic glacie, naufragus alter aquis.*

## Emerſus mari moriens.

*Naufragis ſcopulis eluctans humidus hoſpes,*
*Adnauit patrio ceu noua cymba ſolo.*
*Naufragio emerſit? mens ô quàm neſcia fati!*
*Merſit humi ſicco naufraga Parca mari.*

## Moriens in ſomno.

*Somne papauereos oculis immerge liquores,*
*Dulcia vt humenti pectore philtra bibam.*
*Falleris, & fallis; letum occupat. otia fratri*
*Mors ſoror inuidit. cæca venena pluis.*

## Merſus dormiens.

*Propter aquam tremulas arbor ludebat ad auras*
*Vitreâ Hamadriadum Naïadumq; domo.*
*Me cepit dubiæ iucundus imaginis error.*
*Sterno thorum, ſtruxit Nympha ſepulcra thoro.*

## Amne ſubmerſus.

*Ipſe ſui vultum quis neſcio leno liquenti*
*Dum ſpeculo informat, Nympha petulca rapit.*
*Naïadum glauca ille ſubit penetralia, & Orcum.*
*Alter erit qui iam pocla miniſtret Hylas.*

## Sagitta incauta occiſus.

*Siderio vt vultu ſpeculum tam nobile merum*
*Mars vidit, auidis os inhiat oculis.*
*Dum ſtupet incauta (iaculum vt tum forte tenebat)*
*Lapſa ſagitta manu fixit iniqua pedes.*

SE-

# SEPVLCRETVM IN QVO CIPPI SEPTEM.

## PRIMVS CIPPVS, PVERI, ABORTIVVS.

*Sperabam ſuperas irrumpere luminis auras,*
*Obſtitit obnixa liuida Parca manu;*
*Incluſitq́; animam gremio vitamq́; ſepulcro.*
*Non vixi, & Lacheſis me iubet vnca mori?*

## Puer extinctus.

*Depuber viridi florebat vere iuuentus:*
*Mors ferit, illa cadit, teſtula curta tegit.*
*Cur premis ah ſaxo, condi ſub melle liquenti*
*Debuit ille fauo, flos cui vita fuit.*

## Memoria filij defuncti.

*Filius expunctus viuis. decumbit hiantem*
*In tumulum, anguſto gleba puſilla ſolo.*
*Occiderit, clauſo ſed cur rediuiua ſepulcro*
*Me iam flamma coquit? num cinis ergo rogus?*

## Mors pueri.

*Deliciæ ante Nepos, nunc, heu, ſeges aſpra doloris.*
*Complorat viduo mœſta Parens gremio.*
*Quas non ærumnas Mors parturit iſta Parenti?*
*Æterni luctus ſit puer iſte parens.*

## PVER.

*Texere vix cœpi floris rude germen, & æui*
*Orſa mei inuiſa gleba recondit humo.*
*En tumulo albentes pluit alba fauilla pruinas,*
*Quàm cito abit cano ver pede bruma ſequi.*

## Filiæ Pater.

*Dimidius perij, nata vt compoſita feretro.*
*Altera pars viuit, altera ſidit humi.*
*Oſcula libaui, ſugo vda per oſcula vitam.*
*Incipio totus viuere dimidio.*

---

# II. CIPPVS.

## MORS NVPTAE.

*Limina cupreſſus ferali præſtruit vmbrâ,*
*Funereaſq; animat taxus iniqua faces.*
*Malueram pinum, mors attulit improba taxum.*
*Quæ data tæda thoro, præda ſtat atra rogo.*

## CONIVGI.

*Aggere funeſtos damnati turis aceruos,*
*Atq; Arabum meſſes Sicaniaſq; dapes;*
*Et dic illacrymans buſto; ſine coniuge coniux.*
*Quæ cremat hoc corpus, cor coquit ara meum.*

## CONIVGI & FILIO.

*Nunc ſub falce iacet noſtri pars altera coniux:*
*Si non & maior mors ſedet orba ſinu.*
*Par cinis & gnatus. mea vulnera vulnerat alter*
*Iam dolor. & viuo, bis cui vita perit?*

## Vxor Marito.

*Raptus abit coniux, leto falx eximit æuo,*
*Nunquid & ille meo pectore raptus abit?*
*Nunc alta ille meis inoleuit imago medullis.*
*Cor ſpeculum, pectus viua ſtat vrna viro.*

## CONIVX ad CONIVGEM.

*Cur pluuio cineres alabaſter adhalat amomo?*
*Dulce nihil ſpirat, quæ fluit aura croco.*
*Plus ſitijt lacrymas quam cinnama puluis; odores*
*Duc nimbos oculis, o mea vita, tuis.*

---

# III. IMPERATORES.

## AVGVSTO ROMA.

*Quid tenue irrorat reliquis natura tenaci*
*Parca manu, huc totum fundit opima ſuum.*
*Quàm gaudî ampla ſeges, luctus tot fenero meſſes.*
*Plus cruciat raptis dotibus orbus amor.*

## GALBA.

*Altera Troia redit, redit & Paris alter; & alter*
*Iliadum lacrymas qui bibat ignis erit.*
*Alter vbi Priamus bello defeſſus & æuo?*
*Pro Priamo in Romæ puluere Galba iacet.*

## TIBERIO.

*Parce roſis violiſq; atq; immortali amaranthe;*
*Quid cineri & floris ventus inanis odor.*
*Arida Biberij caldum ſitit vrna Lyæum.*
*Quis ſcit an hoc animam puluis ab imbre bibat?*

## VESPASIANO ROMA.

*Perſephone flauum tulit albo è vertice crinem,*
*Raptus abis; rapuit parca, regignit amor.*
*Altera vita redit materno in pectore. viuit*
*Neſcia imago mori. cor ego Nate tuum.*

## TITO ROMA.

*Men' fugis extento pede deuius exſul ad orcum,*
*Qui rapit ad ſtygios orbita prona lacus?*

*Aſſequar oppreſſas quà pes obſignat arenas.*
*Quà tu Gnate prais, ſit comes vmbra Parent,*

## NERVAE.

*Ferrea quo lento pax ſecla retexat in auro;*
*Aurea penſa breui ſufficis è calatho.*
*Iam nona purpureo currebant ſtamina fuſo;*
*Illico Parca ſcidit fila; fuere ſenis.*

## TRAIANO.

*Nunc cinis anguſtam moriens decumbis in vrnam.*
*Cui mundus titulis pars minus æqua tuis.*
*Prô fati inuidiam! immenſum res tantula ſidus*
*Ergo capit? mundo maior an vrna ſinus?*
Super columna cineres eius depoſiti.

## ANTONINO PIO.

*Felix Roma Pio, Lacheſis ſi ſtaminis albi*
*Penſa trahit, plenâ penſa voluta colu.*
*Falx leti atra ſecat. Pius excidit; eius ad vrnam eſt*
*Viſa mori, it certè Roma ſepulta queri.*

## DECIO IVNIORI.

*Tu cui ſubluſtris vitæ conniuet Eous;*
*Quò ruis? & mortis flebile curris iter?*
*Sic lubet inſidias palanti nectere vitæ!*
*Quis furor hic palmam quærere, & vltro rapi?*

## SEVERVS.

*Deuixi. ignis edet. ſors iſthac vltima palmis.*
*Nunc Cæſar rapido victima adeſa rogo.*
*Quàm fallit cæci nos curta decempeda leti!*
*Emenſum vrna breui ſtat pede menſa Deum.*

GOR

## GORDIANO.

*Tu puer antiqua milleſimus arbore ramus,*
*Inclyta quem magnis gloria clarat auis;*
*Creſce diu. quid vota moror? ſpes ſera Quiritum;*
*Tam vetus ah ſubito ſtirps cadit icta Noto.*

## CARO.

*Victor Achæmenio qui fregit cornua Tigri,*
*Quiq; Semiramia fulmen ab arce tonat.*
*Nunc cinis. intexit lauros mors atra cupreſſu.*
*Dux modo læta choro, præfica fama rogo eſt.*

## CONSTANTINO ROMA.

*Te totum rapiet nunquam breuis vrna ſepulcro,*
*Inſedit tumulum poſtuma fama tuum.*
*Si modò quis tumulus te, rerum Maxime, claudit;*
*Tu nonne immenſa maius es vrbe caput?*

## THEODOSIO MAGNO ORBIS.

*Occiduis deflendus obit, deflendus Eois*
*Qui modo Sol terris nunc cinis orbus humi.*
*Non vnū hic funus; mundi hāc caput incubat vrnā.*
*Quod nunc Cæſar, erit imox ſua Roma nihil.*

## GRATIANVS
## Ad Maximum.

*Innocuum, prò grande nefas! tun' prædo ſecurè*
*Impius? auguſtum barbara ſica caput?*
*Plus hic quam Cæſar cadit. hac cadit orbis arena;*
*Ad caput hoc trunco funere Roma iacet.*

## VALENTINIANO.

*Te iuuenem cecidiſſe querar, ſi metiar annos;*
*Sin vita numerem munia; flebo ſenem.*

*Præſenti fruitur virtus, fruiturq; futuro.*
*Nunc æuo, & meritis vita bis acta fuit.*

## PVLCHERIA.

*Quo Sophia & pietas hoc & Pulcheria floret,*
*De gremio intacto virgo marita viro.*
*Et tantum tu parca decus? quam fallere demens!*
*Cælo it ſidus; humi ſideris vmbra iacet.*

## MAVRICIVS ad PHOCAM.

*Aurea ter germino turget vindemia partu;*
*Queis ſacra auguſto purpurat vua mero.*
*Diripis exſcindiſq; ſua cum Matre; racemos*
*Carpe, licet. vitem cur ſcelerate rapis?*

Necat ambos parentes & filios.

## Mauricij cædes & filiorum.

*Triſte nefas. denſo mors funere funus aceruat.*
*Hinc gnati inde parens ad ſua ſceptra cadunt.*
*An rurſum hic Troiæ Priameia ſecula? certè*
*Sub Pyrrho hic Priamus. quis Paris alter erit?*

## FILII MAVRICII.

*Heu patriæ cineres! ſæuos cadit arbor in ignes*
*Aurea. nunc puluis nobile germen, Auûm.*
*Si ramos numero; ſeni periêre Nepotes,*
*Sin fructus precium pondero: ſidus erant.*

## Theodoſius Mauricij filius.

*Pubere de gemma ver flos texebat in auro;*
*Verna ſed orſa roſæ cruda retexit hiems.*
*Quale decus ferro perit? o mors inuida! florem*
*Cur ſic falce metis? nonne ſat vltro perit?*

Cæſus à Philippo.

BA-

## BASILIO MACEDONI.

*Quà roſeo Auroræ thalamo ſol ſurgit. Eoo*
*Purpuream alluces candida ſtella facem.*
*Occidis. Eoum nox incubat, emicat hæres*
*Aureus. it bimari Phoſporus alter agro.*

## CAROLO MAGNO.

*Te campus Scytalæ non longior excipit arcta*
*In teſta, exilis cui modo terra globus.*
*Mors pede ſepteno quam mira decempeda buſtum!*
*Metitur toto grandius orbe caput.*

## LVDOVICO PIO.

*Tela ferox curuo mors deſtinat aſpera cornu;*
*Pro clypeo, terræ quem geris eſto globus.*
*Cæca globum fixit pro Cæſare. noxia nuſquam eſt*
*Mors tibi. terra tuâ ſaucia morte gemit.*

## FREDERICO.

*Ire lubet ſtagno, liquido inſidioſa ſepulcro*
*Mors latet; en vitreis ſe tibi prodit aquis.*
*Mors vbinam quæres? non vſquã hic tela nec ignes;*
*Arcus & arcitenens, ſi volet, amnis erit.*

## BALDVINO.

*Tu Graï orbis honos, fidæ pietatis imago,*
*Rex ſolio, obſequio frater, amore parens.*
*Et laceris mirer ſpargi tua funera membris?*
*Stare negant vno plura ſepulcra loco.*

## HENRICO SECVNDO.

*Hic ſitus eſt, quem non capit orbis & arduus æther;*
*Diſce breui ſaxo ſidera quanta iacent;*
*Et titulum lacrymis informi inſcribe fauillæ.*
*Quæ rapit Henricum, mors mage digna rapi.*

# IV. CIPPVS. REGES.

## PRIAMO PHRYGIA.

*Prodigium luctus! Priamus lacrymabile ad aras*
*Occidit. Hirceo nec litat ara Ioui.*
*Quærit inops buſtum Patria fumante ſepulcro.*
*Tæda deeſt, ingens cui ſua Troia rogus.*

## ALEXANDRO MAGNO.

*Cui non terra ſatis, ſaxi nunc vnius hæres;*
*In cinere hoc leti ſaxea ſæcla trahit.*
*I nunc ille, mari votum cui maius, ad vrnam,*
*Metire hanc, quanti pulueris vrna ſies.*

## ROBERTO CAPETO GALLIA.

*Te petit æthra parens, tellus te reddidit æthræ.*
*Cæruleo i campo currere, ſidus eras.*
*Sidus abis? viduam iam nate reuiſe parentem,*
*Nonne breui redeunt aſtra voluta globo?*

## ALPHONSO ARAGONVM ITALIA.

*Aſtra diu petiere, diu ſed auara negauit*
*Terra parens; litem fata ſequeſtra ſecant.*
*Æthra animam, terra oſſa tenet. mihi reſtat imago.*
*Vno non poterant tot bona ſtare loco.*

## VLADISLAO.

*Dum rapidos agitat Mars alto in puluere currus;*
*Puluereis ſparſit nubila ſicca rotis,*
*Teq; premit. dubium mors, an mors nupta Gradiuo*
*Ambigo. nox oculos puluis & haſta rapit.*

## DELPHINO FRANCISCI FILIO.

*Quiſquis ades, curſum reflecte viator ad vrnam,*
*Et dic, hoc tumulo Francia merſa latet.*

Vit-

*Vix oriens ſidus cur Heſperus vmbrat? vt orbis*
*Triſte nefas leti nocte perenne legat.*

HENRICO II. GALLIÆ REGI.

*Regia purpureo currebant lilia fuſo,*
*Florentes Lacheſis premetit vnca colos.*
*Plus quam morte nocet; ſic aurea ſcindere vitæ*
*Stamina, de ferro texere fata fuit.*

FRANCISCO II. GALLIA.

*Impuber fragili è tela vix ordior æuum.*
*Et Clotho grauida reſcidit orſa colu.*
*Ah quantum auſa nefas! hoc caſa in funere Virtus*
*Nunc furit effranis dira Megæra rotis.*

LVSITANIA ad SEBASTIANVM.

*Heu vbi nate iaces Maſſylis exſul arenis?*
*Fors laniant volucres, dilaniantq; feræ.*
*Cur procul Heſperiæ Heſperius fugit arbore termes?*
*Quà ramus cadit, hàc & cadat arbor humo.*

Plurimorum Regum vno tempore clades.

*Occidit Auguſtus. Rex occidit, occidit ingens*
*Turba Ducum, atq; vno par legit vrna die.*
*Nobiliore legit Mors ſpicula, credo, pharetræ.*
*Purpurei vt tingant aurea tela duces.*

Stephano Batorio Polonia.

*Mors Stephanum! informes tantum iubar ibit in vmbras,*
*Dignius auratis irradiare globis?*
*Quid mihi cum ſceptro? funeſtam mortis in vrnam*
*Si cecidit viduis rapta corona comis?*

ALPHONSO CASTO.

*Orba gemit Tellus, perdit iubar, aurea Terra*
*Sidera nunc cœlo maior adoptat honos.*
*Cui Terra immenſo globus ante ſimillimus aſtro,*
*Imperio centrum nunc breue Terra tuo eſt.*

---

# V. CIPPVS HEROES.

## BRVTO PRIMO CONSVLI.

*Hoſtile aduerſo rumpebas pectore pectus,*
*Pugnaci in ſtadio; par tulit haſta duos.*
*Plus vter hic victor? neuter, quam fallere demens.*
*Neuter vbi vincit, victor vterq; redit.*

## DECIO.

*Hoſtis adeſt, hoſtem ſuperirruis, ille fugaci*
*Ceſſit equo. incumbis. quà iacet ille, cadis.*
*Victricem victis ſic miſces Manibus vmbram.*
*Vincere ſi vinci eſt, dic vbi laurus erit?*

## Scipioni in Hiſpania cæſo.

*Martius vrebat te pulchro in puluere ſudor.*
*Laurigerum oppreſſit plumbea grando caput.*
*Sic cadere armorum ingenti ſtrue, crede triumphum*
*Ante necem Mauors clara ſepulcra dedit.*

## SCIPIONI.

*Leti hoc triſte gelu ſi ſpectes Roma, lauabis*
*Abſq; foco & thermis triſte caput tepida:*
*Et dices, tecum icta pari cado nate ſepulcro:*
*Corpore in hoc vno funera bina iacent.*

## AVGVSTVS CAIO.

*Æternum mi gnate vale, vox vltima nato,*
*Salue, ſidereis dignior vrna roſis;*

At

*Ac bibe, quos cæco ſtillo de vulnere rores,*
*Quæ cadit in cineres lacryma, ſanguis aui eſt.*

## Magno Pompeio Orbis.

*Europæ, Libyæq́, Aſiæq́ triumphus arena*
*In tenui en Lybicis ludus & error aquis.*
*Aura rapit, lauat vnda, ſolum tenet, ambedit ignis.*
*Quid ſuper è Magno? vix ſine honore cinis.*

## BVSTVM POMPEI.

*Ille mari magno maior, nunc hoſpes arenis*
*Naufragus, heu fracta ſub trabe Magne flagras.*
*Non ea crede mihi Phariæ fragmenta carinæ,*
*Sed tua quo merſa eſt, mergere & ipſe mari.*

Vt cæſus in mari Pompeius, eius cadauer neſcio quis vrit in litore reliquijs carioſæ nauis.

## GERMANICO ROMA.

*Tot ramos auidâ mors abſcidit vna ſecuri.*
*Quot fueras terris Nate ſaturus Auos.*
*Ah quantum licuit fato! nundum exit in auras*
*Germen; & in ramo vis inopina metit.*

## SYMMACHO ROMA.

*Quis ſitus hic? Conſul. cuius flos ille? Senatus.*
*Qui mores? pietas & ſine labe decus.*
*Ah iubar hoc puluis? non æquis parce querelis.*
*Dum iacet vmbra ſolo, Sol ſuus aſtra regit.*

## CONSALVO MAGNO.

*I nunc & fluxæ metire tot agmina vitæ,*
*Mille per & lauros mille per & gladios:*
*Et dic, quid modico tot verſo in puluere currus?*
*Grande tumens? pictus puluis, & vmbra, ſumus.*

### CAROLO AVDACI.

*Hàc qui tendis iter, non eſt mora longa, ſepulto*
*Iniice ter glebam, cymbiaq; uda mero;*
*Et dic. Auſtraſia tenui ſub ceſpite, magno*
*In Carolo, quanta eſt, Belgia tota iacet.*

### IOLANTÆ.

*Quam modico gyro violam breue circuit æuum:*
*Tam breue nunc annis ver Iolanta tuis.*
*Nempe tuum vt vidit, vultus quo purpurat, oſtrum*
*Parca myops, violam credidit eſſe ſuam.*

### SOSA FILIO.

*Pæne leuem inuidit glebam Libitina ſepulchro*
*Gnate tuo; hoc lacrymas puluere nemo pluit.*
*Illacrymat cælum, funeſto in ceſpite rores*
*Quot ſtillat: lacrymas crede tot ire meas.*

### AVGVSTINO BARBARIGO.

*Cœperat anguſto iam cornua claudere gyro,*
*Et tenuare breues Turcica Luna rotas,*
*Heu acuit ferrum Veneti mors inuida cœptis,*
*Et ferit. an Scythico militat illa duci?*

### AD ANTONIVM.

*Vocis iter ferro nequicquam incidis. inane*
*Os animat viuâ fama canora tubâ.*
*Si ſua facundis deeſt vox plectrumq; querelis,*
*Pro Marco incipient roſtra vel ipſa loqui.*

---

## VI. CIPPVS, VARIA,

### CICERO REGNAT.

*In Latio catus ille foro regnator, habenas*
*Imperij docta flecte reflecte manu.*

Roma

*Roma pati regem didicit modò neſcia regni.*
*Alter ab extincto Cæſare Cæſar abis.*
Occiſo Cæſare in ſenatu omnia regit.

## NECATVR.

*Occubuit Cæſar. Cicero dat ſceptra nepoti,*
*Amplius hoc ipſo Cæſare Marcus habet.*
*Occidit & Marcus, non æqui Cæſaris armis,*
*Amplius hoc Marco Cæſare Cæſar habet.*

## CICERONI FAMA.

*Marce siles? rupto luget facundia plectro.*
*Roma ſuo cœpit pro Cicerone loqui.*
*Hic opus & Cicero. deeſt lingua? loquetur aquantis*
*Vrbs oculo. & lacrymis Tullius alter ineſt.*

## BOETHIO.

*Te decus ô Latij ſtupuit pellita Getarum*
*Curia, viſa ſibi Roma renata loqui.*
*Vrbs Latio rurſum iam ſurgere cœperat arua;*
*Morte ſiles; rurſum barbarus orbis erit.*

## MARSILIO FICINO.

*Sidera luſtrabam. mors occupat. ibo ſepulcro,*
*Perſephones ſpolium? lætior aſtra ſequar.*
*Nemo tenax recti cadit. arduus ibo ſuperbo*
*Nunc pede menſurus, quæ tulit aſtra caput.*

## MVRETO.

*Qua liquidò vox ſuada fauo fluit vda per aures,*
*Quem non eloquio dulce liquente trahit?*
*Anne etiam & mortem? tu ſi Murete Süada*
*Dulcis apis: Lacheſis ſurda ſtat aſpis api.*

SADO-

## SADOLETO.

*Cor genio Natura ſagax elimat acuto,*
*At mage acuta necis ſpicula parca iacit.*
*Si liquido vox ſuada fauo fluit vda per aures,*
*Et Muſa hîc Siren, mors petra ſurda riget?*

## VESALIVS AD MORTEM.

*Furtiua me falce metis condiſq; ſepulcro*
*Vndiſono, telis dignor ipſa tuis.*
*Sic licet ignara ſin gleba obſcura Zacyntho.*
*Furta tui vt ſignem, dat cinis iſte facem.*
Ignota in caſa in Zachinto obijt.

## ORTELIO.

*Hic ſitus Ortelius, buſti me fallit imago;*
*Qui iacet hîc, vmbræ vix leuis vmbra ſuæ.*
*Vin' noſſe Ortelium? mundi decurre theatrum.*
*Quantum opus eſt orbis, tantus & ille vir eſt.*

## IVSTO LIPSIO.

*Quis lapis hic? buſtum. quæ circum pompa? Camœnæ.*
*Quæ gemit hic? Pietas. quæ comes? orba fides.*
*Quæ pyra, & vnde? rogo it Sophiæ peritura ſuppellex.*
*Quid tegit vrna? nihil, ſidera Iuſtus adit.*

## Inuidus ad viatorem.

*Inuidi hanc animam cælo, oſſa relicta ſepulcro*
*Neque mihi. inuiſum nunc freta funus habent.*
*Qui legis hæc, ſi te haurit aquis mare, & haurit Auernus,*
*Inſerpet cineri vita bis vna meo.*

## AVARO.

*Grande Charon, inhians naulũ plaudebat, vt vmbrã*
*Vidit ouans, multo qui tumet ære ſinus.*

*Accipit in cymbam; piceum deſcendit in amnem.*
*Hoc cupit vmbra, nigro deſodit æra vado.*

## Ignauo viuenti.

*Ver, æſtas, autumnus, hiems dormitur, imago*
*Mortis iners. vitam nox, ſopor, vmbra tenet.*
*Hic quod agat nihil eſt cæci mors æmula ſomnio*
*Frater iners ſurdæ regna ſororis habet.*

## Cauſidici Auari tumulus.

*Hoſpes abi. flaus ſi tinniat aura metalli,*
*Quæ cubat hic, oculos appetet vmbra tuos.*
*Et tibi verba dabit, quæ quondam vendidit auro,*
*Auri prodigium eſt, muta dat oſſa loqui.*

## MILITI.

*Plagarum ingentes agnoſco in pectore nodos,*
*Vulneraq́; hoſtili cuſa recuſa manu.*
*Nil animum virtus, nil crates ferrea corpus*
*Texit, & vmbo. cauo pectore parca ſedet.*

## Apis in ſuccino.

*Credideram mel ire fauo; me flaua fefellit*
*Lacryma, nunc gemma ſuccina rara tegunt;*
*Vt fuerit maius quo ſtas Mauſole ſepulcro.*
*Haud poteris tumulo nobiliore mori.*

## Epitaphium formicæ.

*Quæ pinu elacrymat flauo ros concolor auro,*
*Frugilegam incluſit aurea gutta feram.*
*Nobilius nequit illa mori condiue ſepulcro.*
*Mors cui mel gemmans, aurea gemma thorus.*

Succinum diſtillans è pinu obuia inuoluit animalcula.

PSIT-

### PSITTACO PVER.

*Qui ſine mente loquens humanæ mentis imago*
*Æmula; nunc ſurda pſittace chorte ſiles.*
*Sic te mors fallit. blæſo cur blanda palato*
*Reddere verba nequis, mors cui verba dedit?*

---

# SEPTIMVS CIPPVS.

## CONSOLATIONES.

### PATER FILIO.

*Enatus abit. noſtri pars maxima ſidit in vrnam.*
*Me nigra ſors cogis viuere dimidio.*
*Hoc & dimidium ſæuo dolor eripit hamo.*
*Si totus perij, cur dare buſta negas?*

### FILIVS PARENTI.

*Anguſtis animus nunc artubus ales in auras*
*Enatat, ac fracta de rate liber abit.*
*Et tu triſte ſonas fluctus ventoſq; doloris:*
*Cur meus ah portus ſit tibi triſte ſalum?*

### PATER AD FILIVM.

*Enate parentali cingam tua buſta cupreſſu,*
*Quem decet halanti ſpargere flore thorum?*
*Siccine? florenti ver Atropos abſcidit æuo,*
*Vt caderes Stigijs fructus acerbus aquis?*

### PVER AD PARENTEM.

*Florebam, viridem mors carpſit acerba iuuentam.*
*Parce parens queſtu, mitis & illa venit.*
*Quid refert, cum poma legis, num rapta procaci*
*Illa manu, an ramo defluæ ſponte cadant?*

MORS

## MORS AD PVERVM.

Arcus & arma mea tibi nunc meditanda pharetræ
Paruule, quem circum tot modo vota ſonant.
Parua mora eſt. nondum bis triuerit area meſſes,
Et primæua tui germina falce metam.

## PVER AD MORTEM.

Ploret id nutrix, ſurdam ſponte ibo ſub vrnam,
Extincto ibit auo concolor vmbra nepos.
Et par ibo cinis. tantum hoc diſcrimen, it orco
Serior ordo nepos, ocyor hoſpes auus.

## FILIO MATER.

Ibis in æternas, gelidus cinis ibis in vmbras?
Ibis inexpleto victima dira rogo?
Heu ſortem inuiſam? queis vreris, ignibus vror,
Gnate, tuus matri iam cinis ignis erit.

## FILIVS AD PATREM.

Parce parens gemitu, nec longo incumbe dolori,
Neue oculos vrat triſtior aura tuos.
Maturus cecidi. ſenium flos iſte iuuentæ
Qui moritur, fato fit puer ille ſenex.

## PATRIS DOLOR.

Vt pater amburi vidit gnati oſſa cupreſſu,
Tranſilit in patrium fax lacrymoſa ſinum,
Ille cadit. tam certa facem quæ deſtinat atro
E fumo, num mors lyncea an orba fuit?

## AD PATREM FILIVS.

Cur rogus iſte rogum? triſtes cur parturit imbres,
Teq; auido tradux ſomite flama coquit?
Me lacrymis his vris, & ignibus vris. vt vnus
Bis moriar, calidis mergor & vror aquis.

PATER

## PATER PLORAT.

*Heu teneros oculos, tenerum iecur vrit edaci*
*Igne dolor, gnati poſtuma tæda meo.*
*Verſa repens ſurda tot auûm decora ampla fauilla,*
*Heu ſeclum in clades vna vel hora facit.*

## FILIVS AD PARENTEM.

*Occidat, occideritq; ſinas in puluere gnatus,*
*An malè mortales ſors iubet æqua mori?*
*At gemis, iniuſtis dolor arguit ille querelis;*
*Quod Deus eſſe vetet nos ſine morte Deos.*

## Auus Nepoti Parentans.

*Iam leti ſub dente nepos iacet, itur ad ignes.*
*Arabiam incendit diuite flamma rogo.*
*Quæ necis ambitio hac?quæ perdit iniqua Nepotem,*
*Carius vt pereat, prodiga perdit auum.*

## NEPOS AD AVVM.

*Te per ego has lacrymas orbo quas libo parenti*
*Pone modum effrenis quas dolor vndat aquis.*
*Vrit aui dolor ille meas, mihi crede, fauillas.*
*Vis ſicca vt recoquat poſtumus oſſa rogus?*

## PATER FILIO.

*Ergo oculos piceo mors opprimis inuida velo?*
*Et tumulo gnatus bruta fauilla iacet?*
*Heu! dum ſic operis morientia lumina alumne,*
*Mors aperit lacrymis flumina bina meis.*

## FILIO MATER.

*Natus abit, gemino, ſal triſtis liquitur imbri.*
*Terge genas memori, pectore pinget amor.*
*Si tibi ſunt oculi fors vrna gemella doloris,*
*Spongia erit viuo tinctus amore ſtilus.*

ROMA

## ROMA CICERONI.

*Roſtra ſilent, roſtris vox & lex vna Triumuir.*
*Iura ſilere iubet anxia, iuſſa ſilent.*
*Et ſilet heu Latiæ flos, vita, medulla ſuadæ,*
*Vt toga victa ſago, laurea viſa mori eſt.*

## FAMA SOLATVR.

*At niſi viſa mori, ſeros adoleſcet in annos.*
*Merſa licet Tullî ſanguine, ſurget humo.*
*Mors fontem eloquij ſi leti in puluere ſiccat;*
*Vnde bibat laurus, nubila Roma pluet.*

---

# NVNDINAE.

## MVNDVS,

### IN QVATVOR DIES.

### Dies primus, rerum Vanitas.

## MVNDI IMAGO.

*Pompa venit, miro ſed pompa inuerſa theatro.*
*Sceptra ligo, intexit triſtia buſta thorus.*
*Hæc mundi facies; & te tenet? iſte quis error,*
*Seu furor? vt ludas; ſeriò velle mori.*

## VANITAS.

*Gemmarum modios, auri metiris aceruos.*
*Magna putas? caſſâ vix nuce cæcus emam.*
*Me niſi quam vanis eludis, vt vmbra, figuris.*
*Pauper agis cenſu diuite. ſomnus opes.*

## FRAVS.

*Bis dat qui citò dat. ſi quid das munde clienti,*
*Das ſero; in toto das niſi dimidum.*

*Pars quotacumq; fuat, quod das, vis vendere vitã.*
*Vt totum eripias, vis dare dimidium.*

### NVLLA SATIES.

*Laxo ſinum en pleno ruit agmine, & affluit ingens*
*Nimbus opum; an tanto flumine merſa ſitis?*
*Plus lucri alluuie parto ſitis ardet in auro.*
*Nil ſatis eſt, ſi das omnia; cuncta negas.*

### FVGA.

*Orbe volubilior, torrente fugacior vnda,*
*Mobilior vento, mobiliorq; mari.*
*Vſq; redit, rapidoq; fugit pede mundus. habenti*
*Semper adeſt, & abeſt. perdere an ergo frui?*

### FLVXVS.

*Attigeris, labuntur opes, labuntur honores.*
*Fluxa negant volucri gaudia ſtare globo.*
*Et quiſquam mundi è nihilo ſibi gaudia fingat?*
*Si quoq; & ipſus homo, qui creat iſta, nihil.*

### TVRBA.

*Turbat honos animum, famæ ludibria turbant;*
*Turbat inops cenſus, copia turbat opum.*
*Præcipiti ſic cæca rotat ſors omnia fato.*
*Mundus an ergo globus, num mage turbo globo?*

### AERVMNAE.

*Omne ſolum duris ſeges obſerit hiſpida ſpinis.*
*Vnde mihi in curas vulnera mille metam.*
*Et te læſus amo? quid ſi des carpere flores;*
*Cui ſic ſpina placet, porro quæſiret amor?*

### Amor ſibi ſupplicium.

*Vane puer vanis te paſcit opinio ſpectris.*
*Sed nimium, ah! veram vana dat vmbra necem.*

Bis

*Ha miſer es, qui ſic ludis. te fallere, noxa eſt.*
*Et dolor eſt falli, ſit tibi pœna ſcelus.*

## INTERITVS.

*Stare paras? profugo demens quid nitere mundo?*
*Ocyus vt pereas ſat citò ſponte peris.*
*Diu peryt qui ſponte perit. ne quære ruinam.*
*Bis perit, ah! mundo qui pereunte perit.*

## QVERELA.

*Cuncta labant fragiliq; tremunt male pendula filo.*
*Æolus impulerat quà trahit aura, cadunt.*
*Et mihi in occiduos ſpes poſtuma fœnerat annos?*
*Cui breue dat punctum ſecula tota mori?*

## Nihil omnia.

*Vita vale, è putri tu trama fragillima filo.*
*Fama vale, vitreo tu caua bulla mari.*
*Munde vale, picti tu ludicra imago theatri.*
*Quis nihilum hoc animæ pignore ſanus emat?*

## Terra punctum.

*Teſqua, lacus, montes, cautes, freta, flumina, ſyluas*
*Deme, breui è puncto terra quod ampla facit.*
*Hic quota pars famæ cedet? quà circus honoris*
*Tam ſecto in nihilo grande recurret iter?*

## REGNA.

*Sidera cæruleo pallantia ſuſpice campo;*
*Et dic; in puncto quam breue terra nihil!*
*Et tot regna ſecas? quænam iſta matheſis? ab arcte*
*Puluere de nihilo vis minus ire nihil?*

## Infida felicitas.

*Grande tument zephyro pregnantia vela ſecundo!*
*Ah furiat cæcas ſors inimica minas.*

*Reſta-*

*Reſlabit. mare Syrtis erit, notus aura ſereni,*
*Quo minus hic belli, quo mage bella tument.*

## AD FORTVNAM.

*Fors fugis & ſequeris cunctaſq; eludis in artes;*
*Quolibet incertum ventilat aura globum,*
*Hoc vnum ſtabilis, rapido vaga & auia fluctu*
*Inſtabilem ſequeris quam rapit hora rotam.*

## FORTVNA INCERTA.

*Tu ne crede tuum, ſi quid tranſcribat in vſus*
*Fors fortuna tuos. δῶρον ἄδωρον honos.*
*Stare nequit verſo rapit orbe quod attulit oſtrum.*
*Quæ tibi ſi ſtaret: iam mage verſa foret.*

## Fortuna inſtabilis.

*Nunc hos nunc illos ſibi ſors vaga adoptat alumnos,*
*Fida parens nulli: certa nouerca ſuis.*
*Quod dedit, vnca rapit & qua non vertitur hora?*
*Iſtud habere? rapi eſt, dos ea prædo ſui.*

## Vix quid iucundi in vita.

*Hic nihil eſt niueo cur ſignes fata lapillo.*
*Nos premit æterna nube ſepulta dies.*
*Spem metus incurſat, ſtant gaudia nexa dolori.*
*Mille cadi è lacrymis, gutta triparca meri eſt.*

## Formoſæ aſpectus.

*Nate Deo fuge tela, nigro fuge tincta veneno*
*Vulnera, & alata dulcia philtra necis.*
*Effuge, quæ roſeâ promit mors tela pharetrâ;*
*Et dic, hiſce latent blanda venena roſis.*

## CANDOR

*Vinula labra roſis, certat gena pura liguſtro;*
*Verba fauo; vincit lilia dentis ebur.*

*Quid*

*Quid niuei oſtentas vultus tectoria? ſeras*
*in lacrymas ibunt. nix tua ab imbre fluet.*

Luxus.

*Vis aurum gracili lentandum ſtamine, eburnus*
*Stat thorus argento, fulua ſtat ære domus.*
*Lautus an id luxus, num ſerui forma? metallo*
*Te damnas. luxu diuite nonne furis?*

Cupiditas.

*Scrinia fulua tument; & pectus anhelat inani*
*Vſque animo. æra pluunt altera, rurſus hiat.*
*Altera & æra pluunt, rursũ it ſitis altera. & vſus*
*Nullus opum? in voto diuite viuis inops.*

Aliud.

*Ora flagrant. ſaliente ſitim reſtinguere riuo*
*Eſt animus? pota plus ſitis ignit aqua.*
*Quid tali facias flamæ, cui flumen oliuum?*
*An ſibi pro gelida fax ſitit iſta facem?*

Cor cupidi immenſum.

*Pectus anhelum auido terram & mare adhaurit hiatu,*
*Cor cui iuglandis vix nucis inſtar habet.*
*O vaſtã ingluuiẽ! modica id tamẽ improba flama*
*Mors vorat; hæc maior dic mihi nonne gula eſt?*

Spes inſatiabilis.

*Argentum alter hiat ſiccos ſitit alter honores;*
*Neuter adeptus opes, neuter adoptat opem.*
*Fac reperiſſe. nouo ſtat vota retexere voto;*
*Quæ iam parta tenet, ſpes aliena facit.*

### Fides arcani infida.

*Exoneras fidam, ſi quid iecur vrat, in aurem,*
*Cæce putas ſurdo verba repoſta penu.*
*Falleris. auritæ narras tua crimina famæ.*
*Quæ non ipſe premis verba, premenda tegam?*

### Fides infida amicorum.

*Quos tibi non fidos ſors aurea adoptat amicos:*
*Ferrea fata probant. noxa fit aſpra ſalus.*
*Turbo rapax ficto perſonam detrahit hoſti.*
*Rebus in incertis certus oberrat amor.*

### MILITIA.

*Incertis animam Mauors oppignerat armis,*
*Quo pretio? parco ter miſer ære meres,*
*Quo tibi vulnus emas. tantillo ſanguis & ætas*
*It venum? gratis ah tibi vita perit.*

---

## DIES SECVNDVS.

## HONOR.

### Quid in regno.

*Miraris ſolium, miraris eburnea regum*
*Sceptra? ſedet ſceptris cura; dolor ſolio.*
*In trabea liuor, gemma timor, ira ſub auro,*
*Mors gladio, incluſo purpura ab igne rubet.*

### Quid honoris inſignia.

*Purpura ſtat lateri dare pondus idonea vento?*
*Hinc tibi ventoſo pectora folle tument.*

Scep-

*Sceptra lutum, ſolium Samiæ dos fulua figlinæ,*
*Gleba micans aurum, fictile gemma gelu.*

## Ambitio.

*Ire lubet, quò ſumma vocant ſubſellia ouantem,*
*Auratoq́; trahit fama repoſta tholo.*
*Quò ſceptri maleſuadus amor te raptat? vt vrat*
*Cor fumo, & lacrymis fax coquat atra iecur?*

## Purpuræ amor.

*Te rapit in curas criſpanti textilis auro*
*Purpura, & in voto diuite candet ebur?*
*Inuidiæ ah tineæ trabeâ ſtabulantur, & alto*
*Poſcit mille feras diſcolor Hydra thoro.*

## Honor.

*Gloria adeſt? ne prende. fugit? ne quære. recurrit?*
*Diſsimula. fundit præmia? claude ſinum.*
*Sponte venit, quæcumque venit, & tangit Honorem*
*Ambitio. Rex eſt. libera liber amat.*

## Gloriæ vanitas.

*Queis radiat, oculos præſtringit gloria gemmis;*
*Ne ſpectem. ah quantum purpura clara nihil!*
*Neſcio quid picta in nebula mentitur imago.*
*Dat ſine dote decus, dos cui ſola rapi.*

## Ad Aulicum.

*Ficta & picta placent, vis fuſca in imagine, auaros*
*Quos tulit Orcus Auos, cera reponat anus.*
*Nil opus hoc ſumptu, gratis ficta omnia cernis.*
*Nonne dolo fingit diſcolor Aula viros?*

## Fictus homo.

*Pulchra licet magni te nominis vmbra colorat,*
*Et toga de caſto vellere pura tegit;*
*Nil agis. è trabea cordis pellucet imago;*
*In niuea pares ater, vt antè, toga.*

## Luxus.

*Diruit hic montes, hic campos aggerit altis*
*Montibus; excluſis hic mare fraudat aquis.*
*Nauigat hic terras. res regia vertere mundum eſt.*
*Verſo etiam res eſt regia in orbe mori?*

## Candidati ambitio.

*Quis decus ille virûm, cui candidus vndat inani*
*Vmbo ſinu? an pandit turgida vela foro?*
*Purpureo candens toga velificatur honori.*
*Martius an campus ſit mare? ventus agit.*

## Candida Toga.

*Perge legi Conſul faſtis, equitúmue Magiſter;*
*Quod ſors atra negat, candidus vmbo dabit.*
*Quos tibi Plutus emat, faſces dat cretula. & illa*
*Vilis honos. auro eſt carior iſte lapis.*

## Salutatio.

*Mane ſalutantum celſam ordo recurrit ad arcem,*
*Et cum ſole terit limina ficta ſalus.*
*Tam ſi ſis ſaluus, tibi quàm vouet aula ſalutem,*
*Salue cui dicat, iam puto, nullus eris.*

SECRE-

## Secreta Regum.

*Ne quis dicta foras eliminet, auribus auceps*
*Accubat, & verbis retia cæca parat.*
*Sic iubeo, & Cæſar. quis temnat Cæſaris iram?*
*Hîc quot verba ſeres, tot tibi tela leges.*

## Inſidiæ Regum auratis poculis.

*Pone miſer gemmam. dubio mors innatat auro.*
*Securam inuitat fictilis vrna ſitim:*
*Gēma placet, viridi bibis atra venena ſmaragdo.*
*Carius vt pereas, cur tibi gemma calix?*

## Honor mortis cauſa.

*Quos tibi purpureo reti venaris honores.*
*Quà natat oſtrifero concha colona mari:*
*Obſcuro longæua dies contaminat æuo.*
*Purpura tincta tyro Sepia* * *mortis erit.*
* Piſcis atramentum fundens.

---

# DIES TERTIVS.

## DIVITIAE.

## Opes.

*Lubrica dos aurum, fortunæ* δῶρον ἄδωρον.
*Sors quas larga dedit, parca repoſcit opes.*
*Nunc aurum vis tollit edax, hunc atterit vſus:*
*Fors rapit, an donat? an mage dando negat?*

## Amor terræ.

*Anxius anguſto terræ de ceſpite pugnas,*
*Cui ſua ſors regnum latius Oceano.*

*Ah miſer in puncto, teretiq; in puluere curris,*
*Cui fas immenſo voluere in orbe rotas?*

Munera.

*Vnica lex, aurum nunc jus ſine iure. bilancem*
*Nunc Themidis furtim nummus adulter emit.*
*Omnia nunc aurum. quo plus ſic degitur ætas*
*Aurea, plus auro ferrea ſecla fluunt.*

Curæ ex opibus.

*Arctat & angit opum te copia. diues egeſtas;*
*(Crede mihi) eſt ingens res ita lauta, premit.*
*Nonne acuit triſtes ægro ſub pectore curas?*
*Ah quiſquam felix; vt miſer eſſe velit!*

Mercatura.

*Inſtitor errat agris, ponto volat ocyor Euro,*
*Quà vocat ardentes aurea meta rotas.*
*Vt peperit, partis parcit, quænam iſta phreneſis?*
*Quærit inops, partas vt malè perdat opes.*

Mercator æquo cupidior.

*Fluctiuagâ in pinu noua te ſitis vrit amaro*
*Hauſta ſalo, amburitq; aurea flamma iecur.*
*Nauigero vnde flagrant tot paßim incendia ponto?*
*De ſale tot paſcit pinea ſylua rogos.*
Marina aqua flammam accendit.

Ab auro exitium.

*Quæ ſibi magna parens inuiſo æraria regno*
*Condidit, aurifera prædo reſignat humo.*
*Noxa trahet noxam, nulli hæc impunis; ab auro*
*Mors venit; in pœnam noxia præda redit.*

# DIES QVATVS.

## LVXVS.

### Supellex.

*Auro tecta micant, intermicat aula pyropis,*
*Bullatoq; thoro ſectile candet ebur.*
*Hæc tua vix tua ſunt. tecum fur diuidit hæres.*
*Dimidio vitæ nox bona tanta rapit.*

### Querela.

*Venter inops oculi conuiuia ſpectat in auro.*
*Paſcitur hic gemmis, alter inanè latrat.*
*Vah oculum! iniuſtum dat luxu è paupere letum.*
*Num bene pars totum perdit iniqua ſuum?*

### E marmore ædificans.

*Quidquid Chios alit, & quidquid dura Caryſtos,*
*Aut Thaſus, aut bimari Græcia ſepta ſalo,*
*Conuehis, & quidquid Libycæ rupêre ſecures.*
*Aut hic aut nuſquam eſt, quidquid vbiq; lapit.*

### Thorus variegatus.

*Verſicolore teral pluma variatur, & oſtro.*
*Spondaq; inaurato ſplendet eburna thoro.*
*Noctis honos, pernox vt vinxit lumina ſomnus.*
*Cæce putas lemures ſtragula picta iuuant?*

### Pocula cælata.

*Mentoreos calices, doctiq; toreuma Myronis,*
*Quæque Corinthon olent pocula, rara ſitis.*
*His ſine nil bibitur, caſſas ego lumine fauces*
*Credideram; ad cyathos, nunc oculata gula eſt.*

## Cultus amœnior.

*De digito radiat adamas, micat aure ſmaragdus,*
*Fulua catella manum, pectora torquis obit.*
*Ceruſſa ſtibioq́ genæ, frons picta pyropis,*
*Ora roſis; in te pars quota quæſo tui eſt?*

## Varius crinium plexus.

*Nunc coma vincta globo, lato nunc didita cirro,*
*Nunc collecta breui ſignat in angue caput;*
*Nunc abit in circum, nunc aſperat angulus, iſtud*
*Quis geometra caput, ceu nemus, arte regit?*

## Comæ fucus.

*Albus cygnus eras. Lacheſim vis fallere, coruum*
*Induis, & coruo mors quoq́ vultur erit:*
*Quid refert piceum coruum, an mage vultur olo-*
*rem*
*Heluo furum edat? par in vtroque gula eſt.*

## Calamiſtrum.

*Cæſariem incriſpo calamiſter adulterat igni:*
*Tortile crinali ludat vt angue caput.*
*Quã coma ficta tibi eſt, tã mens & ficta, tot angues*
*Ab capite in pectus transfer, vt hydra ſies.*

## Fucus Capilli.

*Tinge, retinge comas, non falles comtule Parcam;*
*Vulpe omni vulpes vafriùs illa ſapit.*
*Te vetulæ prodent rugæ, capitiſq́ pruinæ.*
*Viue ſenex iuuenem, mors tibi nubet anus.*

Sti-

## Stibium.

*Nil hic ſpecto tuum, de pyxide totus, & vdo*
*De ſtibio mendax totus imago viri es.*
*Si caput inſidum, quis fida hic pectora ſperet?*
*Mens ſtat ficta dolis, vt gena picta roſis.*

## Fucus.

*Os fingis violâ, fingiſq; labella corallo.*
*Formoſo vt nubas Iuno venuſta Ioui.*
*Ille fugit. alios amor errat adulter in ignes;*
*Et tibi adulter honos. nubis adulterio.*

## Vnio ad aures.

*Gemmea cur laceras appendix ſauciat aures?*
*Num tibi dulce decus, vulnus ab aure pati?*
*Dulce decus dices. ſi ſaucia pignus honoris;*
*Illæſa puerum naſcier aure, quid eſt?*

## Elenchus ab aure.

*Gemmat ab aure lapis, miror: nil mollius imâ*
*Auricula; & forti vulnere ſaxa gerit?*
*Quin gerit & fundos. quid? prædia tota vel vnâ*
*Aure gerit mulier, maior Atlante vir eſt.*

## Gemmarum amans.

*Omnis in aurato ſtat mens oculuſq; ſmaragdo,*
*Herbida cui vernat diuite gemma manu.*
*Quam condi vt vidit gemmæ procus vuidus imbrē*
*Fletifero. ah curtâ pyxide condor, ait.*

## Veſtis & gula orbem ſibi diuidunt.

*Hamus, pecten, acus, forceps, focus, amnis, ahenum,*
*Arbor, humus, cælum ſeruit & aura togæ.*

*Quid gula iam dicet? ſibi poſcit & improba mundũ.*
*Vis dare cuncta gulæ? ganeo vende togam.*

## Verſicolor amictus.

*Nunc toga ver mentita viret, nunc æmula cælo,*
*Nunc ridet calthæ concolor aut violæ?*
*Qui color eſt trabeis, idem eſt & pectore, qui tot*
*Induitur vultus, dic mihi an vnus homo eſt?*

## Toga picta.

*Pinxit acu Babylon florentes murice veſtes,*
*Perpetuumq; tibi ver ſine vere ſerit.*
*Pro trabea vn⁹ flore tegi? quid prodigis aurum?*
*Hortulus id gratis, vel ſine veſte dabit.*

## Purpura acu picta.

*Textilis auratas animat pictura lacernas,*
*Et poto conchæ ſanguine lena rubet.*
*Dic mihi plus oſtro glaciem defendis & imbrem,*
*Quam quæ natiuo vellere candet ouis?*

## Secta Serica.

*Altera ſublucet lacerâ ſub ſindone ſindon,*
*Byſſus enim byſſum veſtit. & vna toga eſt?*
*Dic nullam. geminam perdis ſub forcipe veſtem.*
*Carpitur hæc ferro ſaucia, & iſta latet.*

## Pellucida veſtis.

*Et nebula & vitreo peplo mentiris amictum.*
*Viſa tegi, nuſquam corpus inane tegis.*
*Pectus vti nudas, ſic cor. pellucet aperto*
*Pectore imago lupæ. veſte vbi veſtis eget.*

Veſtis

## Veſtis pellucens.

*Vis latus inſido prodat toga vitrea textu,*
*Et pretio inſano textile frigus emis.*
*Riſimus. & cur non? rarum ſi ſtamen honori:*
*Indue arachnæas retia rara plagas.*

## Veſtis conſciſſa.

*Quos ſpecto hic oculos? ſindon oculatior Argo eſt.*
*Tranſpicio ſecta pectora nuda toga,*
*Arte prius ſcindis, ſcindi quam cæperit vſu.*
*Vt ſit pulchra; tibi vis toga nulla ſiet.*

## Byſſus.

*Quid placet in byſſo? ſtamen teres? iſtud Arachnes.*
*Rara an texta? gelu te grauis vret hiems.*
*An leue pondus, & vmbra? tegit ſine tegmine pectus.*
*Quid monſtri hoc? tecto corpore nuda pates.*

## Veſtis ſerica.

*Quidquid alit prægnans folio de pubere bombyx,*
*Piſæóue ſerit Elis amæna ſolo,*
*Induis. ah! tenui tranſmittis frigora velo.*
*Nonne togam vt quæras te toga rara tegit?*

## Sindon.

*Sindona vis aptâ corpus qua veſte figuret,*
*Et quæ perſpicuum prodat inerma latus?*
*Si vis vt ſpectem quem celas Sindone vultum,*
*Ad ſpeculum & gratis te tui imago teget.*

## Rara veſtis.

*Currentes infrænat hiems ſub marmore Nymphas,*
*Et corpus nebula linea inerme tegis?*

*Vt populus rarum ſpectet decus, vreris algu,*
*Te veſtis alys, non tibi. pone togam.*

## Syrma.

*Puluerulenta trahaci euerris compita caudâ,*
*Inq; pilo, & byſſo nubila ſicca trahis.*
*Vt vidit; laxis riſit glabra ſimia buccis.*
*Mi ſoror, inquit, hera eſt; cercopithæcon agit.*

## Altus cothurnus.

*Sublimi ingreditur perſona ſuperba theatro.*
*Pumilo dimidio, dimidioq; gigas.*
*Pæne giganta putes ſi ſpectes alta cothurni;*
*Sin corpus, curto ſtat pede pumilio.*

---

# DIES QVINTVS.

## DELITIAE.

### Illecebræ.

*Peſtemq;, horribilemq; famem belliq; furores,*
*Deliciæ molles aſpera noxa ferunt.*
*Deliciæ? ô cæcas mentes! quis crederet vnquam*
*Subnaſci teneris ferrea tela roſis?*

### Riſus dolori miſcetur.

*Sparge iocos, ſere ſerta, dapes ſtrue, tingere nardo,*
*Lude vitro Bacchi prælia, volue choros;*
*Carnifices appone thoro: circumſtat Iacchum*
*Hinc fax, inde dolor. certam epulare necem.*

Nulla

## Nulla ſaties.

*Tange merum guſtu, vel ſi quod dulcius vber*
*Mundus alit. nuſquam dulcior vnda mero eſt.*
*Vreris? i riguis eriua vina culullis.*
*Plus pota vnda coquit. nonne ſitis ſaties?*

## Dapes vndique.

*Frondea regna plagis, mare retibus, aëra pennis*
*Occupat hamatæ ganea auara gulæ.*
*Nec modicam exſatiant tellus mare & æthra lacunam.*
*Quam breue quid mundus, ſi gula maior hiat.*

## Mullus.

*Ite gulæ proceres, mulli morientis amœnas*
*Exequias inter gaudia mille natant.*
*Picta garo leti paſcet vos diſcolor iris.*
*Num gula habet oculos? cur noua cœna color?*

Mullus vino immoriens mirè variegatus oculos paſcit.

## Ad Pincernam.

*Cymbia purpureo mors nauigat aurea ſtagno.*
*Perſpicuoq; abdit ſpicula furua mero.*
*Et tu ſolicito prægustas fata labello?*
*Vt Domino viuas, vin tibi ſponte mori?*

## Terra ad glaciei potorem.

*Quid gula non auſit? glacies en miſta Lyæo.*
*Supplicium terræ non tibi delicium?*
*Non ſatis eſt magnæ matris potare cruorem?*
*Cur bibis & lacrymas vitrea vincla meas?*

Periculum veneni è poculo.

*Nolo bibas gemma, mors inmatat atra ſmaragdo:*
*Nolo merum ducas, flama ſtat alta mero.*
*Et myrrha bibis, & caua proluis ora meraco:*
*Mortem ignemq́ bibis. vis tuo ab igne gelu?*

E vino damna.

*Nubila lippa, febris, tabes, mors, calculus, hydrops,*
*Vectigal Bromij & fæx ſcelerata meri.*
*Perfide quam dulci fallis nos Bacche veneno,*
*Quos alis, vt viuant, cogis alendo mori.*

Citharæ canor.

*Fila canora tremunt, digitoq́ animata loquenti*
*Dulce canunt. criſpo pectine mella fluunt.*
*Magnus honos! an non ars cedro digna vel auro,*
*Si mens extremis exſulat in digitis?*

Odores.

*Paſtillos, violas, nardi cum puluere anhelo*
*Ebria odore bibit naris, & haurit opes.*
*Luxus edax populator opum ſic decoquit aurum.*
*Scis quidnam hæc redolent cinnama? pauperiem.*

Odoramenta.

*Terras luxus inops, luxus ſibi vindicat æquor,*
*Publica dos aër, fit ſibi priuus odor.*
*Quæritur argento, cur auras publica mundi*
*Dona emit, an gratis vendere quærit opes?*

Aliud.

*Ore crocus, labro maſtix, opobalſama collo,*
*Serta comis, halant cinnama odora manu.*

Quid

*Quid dicam? hic vnctum veſpillo cerne cadauer.*
*Nil hominis viuit, cui niſi ſpirat odor?*

Vnguentum.

*Frigus iners animi vitas, ſenýq́ pruinam,*
*Hinc pluuys roras nubila odora comis.*
*Quod fugis, id ſequeris. quiſnam furor iſte? liquenti*
*Nonne roſa & myrto cana ſenecta fluit?*

Adulter.

*Viuit in ore pudor? iecur ambedit ardor ab orco;*
*Aegyſthus caſtâ fronte agit Hippolytum.*
*Ante nocens pulcrâ bis peccat imagine adulter,*
*Cui quoq; & ipſe pudor leno pudicitiæ.*

Dolor.

*Me ſitis angit; hianti inuergit pocula mundus.*
*Vix it ſubſtillo gutta triparca fauo.*
*Tam nihil hic gaudi. verti vt mola cœpit amaris*
*Imbribus acta, vomit flumina tota dolor.*

Noxa ex illecebris.

*Lude puer vitreo mundíue orcíue theatro;*
*Lude, cades furuo victima pulla rogo.*
*Sæuæ deliciæ, tormentum dulce voluptas.*
*Dira fluent ſertis toxica; flamma mero.*

Morbi è delicijs.

*Quot violæ pratis, fœta quot in arbore flores,*
*Litore quot conchæ, quot tibi parue nuces;*
*Tot crudo ſenio ſors fænerat aſpera luctus.*
*Spinea de blandis hæc ſeges vna roſis.*

HOR-

# HORTVS ALCINOI IN OCTO SERIES DIVISVS.

## SERIES PRIMA.

### VITIVM.

*FAſq́; nefaſq́; inter, limes iam nullus honeſti,*
*Quiſque nocens, ſeſe iudice nemo reus:*
*Lex ſcelus. vſq; adeo nunc verſi in crimina mores!*
*Pæne ſub humano pectore nullus homo eſt.*

### Peccatum.

*Peccaui, & ſceleris mens neſcia. ſtamina vitæ*
*Ordior, & lentæ vincula texo necis.*
*Quod genus hoc noxæ? pecco ſine crimine crimen,*
*Cui ſcelus eſt naſci, res pia an ergo mori?*

### Neſcius ſuæ noxæ.

*Tango fibram, non æqua micat; dum ſcindo, ſub ictu*
*Vena ſalit. putri fonte venena vomit.*
*Et tibi tu puro mentiris flore iuuentam?*
*Ah ſua qui neſcit damna, bis æger obit.*

### Excuſatio.

*Quiſque ſuo mendax prætexit ſplenia vultu:*
*Alter in alterius nomine crimen alit.*
*Nec quiſquam ſceleri caput eſt, res mira nocentes?*
*Noxam turba nocet plurima, nemo nocens.*

### Metus Conſcientiæ.

*Arcanos irrumpe ſpecus, caput abde latebris*
*Inuiſum, horrifico mens cui vincta metu.*

*Haud*

*Haud tamen abſcondes, clauſo ſcelus emicat antro,*
*Nocte vbi noxa latet, mens ſibi Luna domi.*

## Dolor.

*Falle latens, cæcum nox incubat anxia pectus.*
*Luctificamq́ quatit conſcia cura facem.*
*Atq; vbi mors non eſt, mortis vadimonia ſiſtit.*
*Supplicium eſt ſceleri, triſte patraſſe ſcelus.*

---

# SERIES SECVNDA.

## Ambitio.

*Sicunde aura ſonat, auritis retibus auras*
*Aucupor, & magna bella ſonanda tuba.*
*Hæc voti menſura mei, nil cætera curæ.*
*De nihilo hoc magnos, ceu Dea, fingo Deos.*

## Aliud.

*Te ſimul ac vidi, cœpi neſcire quid eſſes,*
*Tota teres punctum gloria, tota nihil.*
*Pars tamen hæc, quotacumq; fuat, totum impulit orbem.*
*Quid monſtri hoc? punctum vertet inane globum.*

## Ambitus.

*Fama parit famam, laurus ſerit adſita laurum;*
*Creſcit honos, itidem creſcit honoris amor.*
*Spem ſpes accendit? de fama it flamma medullis.*
*Clarius vt pereas fama dat aucta faces.*

## Animus improbus in ſplendida veſte.

*Beryllo digitus, caput ardet iaſpide & auro,*
*Oebalio ridet lana bis vda cado.*

*Nō par lux animo cui fœdi in pectore amores.*
*Sordes, non radias, purpura plena luto eſt.*

### Iactans opes.

*Nil ſonat in loculis, non auri hîc, vlla nec æris*
*Vmbra, nec argenti bractea curta micat.*
*Et tumido Crœſum ſpiras pulmone; quid iſtud*
*Eſt monſtri? os Crœſi Codrus inanis habet.*

### Iactans nobilitatem.

*Semineces ceras, atros ſub imagine fumos,*
*Intonſoſq; ſonas pectora trunca Duces.*
*Si vetus ordo Patrū, & cineres dant ſtemma nepoti.*
*Queis auus vnus auûm eſt, iam ſumus ergo pares.*

### Glorians de familiæ vetuſtate.

*Fumosâ antiquos proauos in imagine iactat*
*Nobilitas Tyrio cui ſedet alta thoro.*
*Sinciput inſanum. næ clari id ſidus honoris,*
*Si fumus veteres longior vmbrat auos.*

---

## SERIES TERTIA.

## INVIDIA.

### Odium ex amore.

*Rupta cadunt ſacra vincla, graues diſſultat in iras*
*Pax modo concordi tam bene vincta manu.*
*Heu vbi tuta fides? ſæuo ſi vertitur æſtro*
*Gratia; & ipſe ſibi diſcolor edit amor?*

Optat

### Optat exitium.

*Liuor ouans damnis, cæco præcordia fluctu*
*Verſat, & horrificis aſperat ora minis.*
*Aeolus ore fremit, Neptunus pectore ſpumat,*
*Et ſperem hîc velis vota ſerena meis?*

### Detrahens.

*Diſcordi viuis ſtudia in contraria voto,*
*Velle meum vt non vis, ſic volo nolle tuum.*
*Tingo verba fauo, vomis ebria tela veneno.*
*Vis dicam, innocuæ noxia es aſpis api.*

### Calumnia conturbat Sapientem.

*Fama palatinas circumerrat, & allatrat aures,*
*Et maculat nigris pectora inuſta notis.*
*Tu ne temne, licet puro de pectore fictum*
*Crimen abeſt, ficti criminis vmbra manet.*

---

## SERIES QVARTA.

### IRA.

### Inuidiæ rabies.

*Cor liuor lacerat ardente tenacius hamo:*
*Supplicium ſceleris fit ſibi triſte ſcelus.*
*Et patitur viuus quidquid paſſurus Auerno;*
*Quis furor hîc, orco velle bis vltro frui?*

### Iratus.

*Saucius es probro, pectus dolor vlcerat ardens,*
*Stat ſcelus vlciſci, currit ad arma furor.*

*Vre-*

*Vreris, atq; vris, dolor an medicina dolori?*
*Cur furis? ah morbo mors magis ægra ſalus.*

## VLTIO.

*Ictus es opprobrio; longæ trahis orſa querelæ,*
*Inſimul vltrices ſtringis ad arma manus.*
*Vindice ſub ferro cadit hoſtis, adorea ſurgit.*
*Quid? tuus alterius vulnere manat honos?*

## Aliud.

*Neſcio num pupugi, pupugi tamen, vlcerat ardens*
*Te dolor, ab diro vulnere quæris opem.*
*Parcere te malim. quiſquis nocet, vltima noxæ eſt*
*Pars ſibi. in auctorem (ſcorpio an ira?) redit.*

## Detractio detrahenti noxia.

*Mutuat irata fel vipera ab aſpide, & iras*
*Concipit aure auida; dein parit ore ſcelus.*
*Et vomit, vnde bibat peſtē ſibi. quale venenū hoc?*
*Anguem ipſum perimit, virus id anne ſalus?*

---

# SERIES QVINTA.

## AVARITIA.

## Ius nuſquam.

*Iuſtitiæ non pluma ſuper, non vmbra, nec vllus*
*Legis apex, Themidis nil Themis orba videt.*
*Quod cernat nihil eſt, niſi fors ſine legibus orbem.*
*Cernere an hoc oculis velle dolere fuit?*

## Aurum effodiens.

*Itur in ima piæ præcordia matris, vt aurum*
*Euoluat ſtygio foſſor abuſque lacu.*
*Vitæ ſuaſit amor. furor eſt amor iſte ſepulcri,*
*Viuere an hoc? viuos eſt ſepelire ſolo.*

## Auarus in fame augens pretium.

*Aerea durat hiems cœlos, & ferreus aruis*
*Stat rigor, inueſti ceſpite ſquallet ager.*
*Maior at inſido de puluere ſurgit aceruus*
*Quo minus hîc meßis, quo tibi plura metes.*

## VSVRA.

*Venales proſcribe domos, ſuſpende libellum:*
*Hunc qui deijciat plurimus emtor erit.*
*Altera Luna redit, redit & ſors altera nummis.*
*Te ſic cauda vorat, quid caput anguis edet?*

## Ad Fœneratorem.

*Menſtruus æripedi currit pede nummus ad Orcum,*
*Quaq; ruit, prono turbine raptat herum.*
*Qui tibi ſic omni vis luce recurere Lunas.*
*Iuſtitiæ ad Solem ſemper eclipſin ages.*

## Ad Fœneratorem aliud.

*Das mihi centuſſem, bis centum reddimus aſſes,*
*Dum redit argenteis menſtrua biga rotis.*
*Et ſortem repetis? mutato nomine centum*
*Redde miſer, debes. mutua nonne dedi?*

### In fœnus.

*Fœnus ale, atque auidis accude talenta talentis,*
*Et tibi qui pœnas fœneret vltor erit.*
*Heu quam ſupplicium ſceleri præponderat impar*
*Noxa breuis, noxæ pæna perennis erit.*

### Horrea meſſe minora.

*Diuide fœcundo ſtagnantes vbere ſontes.*
*Largior exhauſtis copia creſcit aquis.*
*Ni ſacis, vndantes dirumpent horrea meſſes,*
*Quid facient hoſtes, ſi tibi noxa ſeges?*

---

## SERIES SEXTA.

### EBRIETAS.

### Gulæ Beatitudo.

*In patinis nunc aſtra micant, Deus omnis in olla,*
*Dux Potina, ſoror Præſes Eduſa ſacris.*
*Dic vbi nunc cælum eſt, vbi nulla perennat in auro*
*Stella, ſed vſq; pluit plurima ſtilla mero?*

### Ad ebrioſum.

*Te cornu incurſat Bacchus, petulante ſub ictu*
*Mens fugit hauſta mero, pes fugit, ora natant.*
*Et mage quod miror mæſto illacrymans Iaccho.*
*O pietas læſæ vitis & iſtud habes.*

### Ad ebrium iam pium.

*Halanti vda mero tetram dant ora Nephitim*
*Et bibulæ aſpiras ſuauia anhela cruci.*

Ebrie

*Ebrie cæcutis, non oſcula, cruda propinas*
*Vina Deo. hoc vino fellis amara bibit.*

### Furor ebrij.

*Funditur in venas Bacchi vis ignea? Martis*
*Itur in auſa, truci cornua fronte tument.*
*Quid tibi vis blandi pincerna Lyæe furoris?*
*Lætitiæ in regno cur tua cura dolor?*

### Ebrius bene conſulens.

*Conſtruis archiuum Sophiæ. mens vda Lyæo*
*Abnatat, erepta plus gula mente ſapit.*
*Pone ſtilum & libros, potius lege pocula & ollas.*
*Aptior & ſtudijs Pallas Eduſa tuis.*

### Hauſtus iuſto maior.

*Cogis vt æquali tecum deprælier hauſtu.*
*Qui grauis obba mero es, vis ego & obba ſiem?*
*Ni facio, obuertis fera cornua, rumpor Iaccho.*
*Me miſerum! in vino nonne venena bibam?*

### Ebrietas.

*Bacchus vt illuſit Circeio pocla veneno,*
*Mens fugit agrâ, natat naufraga lingua mero.*
*Nil animi eſt animæ, furor omnia & omnia ludus.*
*Et pluſquam furor hic ludere morte ſcelus.*

---

SE-

# SERIES SEPTIMA.

## LVXVRIA.

### LIBIDO.

*Non ſic Aetna rubens, non ſic Vulcania tela,*
*Non ſic ſulfureis Veſbius ardet aquis,*
*Ac furit, atque auidis bibit ignea tela medullis*
*Cæcus amor. quantum lumina fulmen habent.*

### Amor impudicus.

*Vreris. Aetnæo dolor exedit igne medullas*
*Fax tua de modico puluere. puluis homo.*
*Te tamen vrit homo, limo vt ſubriſit ocello.*
*Dic quid agent flammæ, ſi tibi & Aetna cinis?*

### Oculus impudicus.

*Fax petulans oculus, caſti leno ille pudoris.*
*Duc o virgo tuis flammea caſta genis.*
*Ni facis. ah perdes florem, & cum flore iuuentam:*
*Tantula pars totum cur tibi virgo rapit?*

### Adultera caſtitatem ſimulans.

*Fronte tenus tu caſtus homo, latet Anguis amœnâ*
*Sub violâ. gremio eſt cælibe nupta Venus.*
*Furta teges vteri? non recte crimina celas,*
*Quæ vel adhuc infans it ſine voce loqui.*

### Amatoriæ literæ.

*Pone leues ceras, aut luctus funde tot imbres,*
*Quot tibi leno ſtilus probra pudoris arat.*
*In ſtygios vt cera nocens defluxerit ignes;*
*Quot pluet in ſtillas, tot dabit ire faces.*

## Comtula.

*Quæ nunc bella nites Ledæo tincta veneno,*
*Te nigra rugoſam veſpera reddet Anum.*
*Quid nox vna facit? ſenium maturat, & Orcum,*
*Deq; Helene, informi ſorte parit Hecubam.*

## Ad Effœminatum.

*Specto comas, tortos vibrant calamiſtra capillos;*
*Specto pedes, flauent aurea vincla ſolo.*
*Si muliebre tibi caput, & muliebre tumenti*
*Credo ſinu eſt pectus: nunquid & Aule paris?*

## Impurus in luxu.

*Antiquum mentiris ebur, lapis ardet in auro,*
*Marmoreâq; errat ſaxea ſylua domo.*
*At putris in Venerem Rex incubat, vncta luto ſus,*
*Neſcio an auratam ſtruxerit Aulus haram?*

## Libidinis damna.

*Illecebris complexa ſuis quos illigat, arcto*
*Amplexu illudit dulce libido nefas.*
*Ceditq; imbelli thyrſo & face. adultera crudi*
*Martis inerma facit, Mars quod adulter agit.*

## Voluptas dolor.

*Mollia vt ardenti percuſſit pectora thyrſo*
*Bacchus, init venas æſtus, & ardor edit.*
*Et rides hederâ vinctus? tibi blanda voluptas*
*Si dolor; anne etiam vita beata mori eſt?*

# SERIES OCTAVA.

## VARIA.

### Otium.

*Mi puer imbelli vitam ne falle veterno,*
*Aut plumâ in tumulum vita ſepulta cadet.*
*Viuere crede mihi eſt res ſeria, neſcia ludi*
*Cui via tota labor, meta ſuprema dolor.*

### Ignauia.

*Dormis ah dormis? te belua raptat Auerno*
*Candentiq; rubens forcipe prædo trahit.*
*Sed quid ego hac? ride. neſcis miſer heluo, neſcis;*
*Incumbis medio cæca ſepulcra thoro.*

### Luxu ſua prodigens.

*Te toga picta iuuat, te palma, & gemma coronæ*
*Purpuraq;, & Phrygia limbus amænus acu.*
*Pulchrius vt pereas gemmat tibi prodiga rerum*
*Gloria, diues honos, heluo pauper opum eſt.*

### Senex decoctor.

*Delicias inter qui pubere vixit in æuo,*
*Nunc breue in herboſa lance ligurit olus.*
*Sero gemit; non eſt quod diſco in paupere ploret.*
*Ver agit, ad betam cruda ſenecta viret.*

### Verſipellis.

*Tu licet explores Protei ſcelus acrius Argi*
*Centenis oculis, ſidereiſq; globis:*
*Haud tamen id cernas ſpectrum tot mobile formis.*
*Quo magis aſpectas, hoc mage cæcus eris.*

### Garrulitas.

*Parue ſapis? ne preme graues de pectore curas*
*Et preme cor tutum, mens bene clauſa penu.*

*Effluit,*

*Effluis, arcanos vox publicat auia ſenſus.*
*Vulgi cenſus erit mens tua, non tua mens.*

Aliud.

*Neſcio quæ linguas vrit prurigo, ſuſurros*
*Vix bibit auris, hiat pectus, & ora flagrant.*
*Ebullitq́; animo petulans ſartago loquendi.*
*Acrius vnde flagrem, verba flabella ferunt.*

Lingua mortis cauſa.

*Vox redit in iugulum, ferreas vt repperit alas;*
*Pennato ab aperit vulnere mortis iter.*
*Id via quod vita leti ſi porta palatum;*
*Effrani in lingua, dic vbi tuta ſalus?*

Curioſitas.

*Vipereo liuor quot tingit verba veneno,*
*Cæca tot aurito vulnera corde bibes.*
*Prurit adhuc auris, placet altera peſtis? in artus*
*Serpet ab aure. tuum rodet echidna iecur.*

Senex vitæ inhians.

*Plurima luna rotas iam fregit & oſtia ſpectas,*
*Inq́; caput leti candida ningit hyems.*
*Et tibi adhuc ſeros cras cras ſpes crocitat annos?*
*Vin fieri, coruus qui modò cygnus eras?*

---

# MOMVS, VITIOSI.

## Dona ſua venditans.

*RAucidulis ornas (oneras volo dicere) verbis*
*Præmia, ſi vendis, non male præco canis.*

*Sin dare vis, doni tu prædo & perſidus hæres.*
*Quæ dat larga manus munera, lingua rapit.*

## Senex ſplendidè ſtruens.

*Tegula ab extrema iam iam caſurus in vrnam,*
*Exſtans aurato teſta ſuperba tholo.*
*Cenſeo vt exſcribas facundo in limine buſtum.*
*Hoc poſui moriens, hîc moriturus ago.*

## Ex opibus morum Aſperitas.

*Dum ſtaret tenui paupertas fulta tigillo,*
*Molle tibi pectus ceu niue finxit amor.*
*Nunc tu durus homo es, gremio vt pluit aureus imber.*
*Num cor ex auro? dura metalla facit.*

## Metalli foſſor.

*Quò non dira fames auri? perrupit Auernum*
*Diues vbi flauo ceſpite pallet humus.*
*Si viuos Erebi piceas immergit in vndas*
*Plutus hians; functos dic vbi Pluto locat?*

## Iniuſtus diues.

*Perge, cauâ deuerre manu, tua crimina, nummos,*
*Te tibi plus prodet improbe ſplendor opum.*
*Indecores animos lux diſcolor arguit auri,*
*Quæque latent, aperit. Sol ſibi clarus honos.*

## Auarus inuitans.

*Turritas lances multa dape ſpecto, guloſas*
*Stant ſtruices inter pocula plena mero.*
*Hoſpes hiat, nec vis quicquam è dape libet opima.*
*Hoſpes Tantalides vis ſiet ergo cocus?*

Augens

## Augens patrimonium.

*Res cui curta domi, nunc cuncta beatulus auges;*
*Iam domus aucta domo, nunc ager auctus agro.*
*Credideram cæcam, nonne eſt ſtraba diuite ab auro*
*Sors fortuna. domi iam dupla cuncta videt.*

## Iudex corruptus.

*Nil agis, auritum ni Dorica Muſa tribunal*
*Accinat, & rudant tinnula plectra iecur.*
*Pro libra aſtrigera, argento quæ tinnit & auro,*
*Credo lyram cepit lumine caſſa Themis.*

## Fur incautus.

*Quamlibet in prædam furaces inijcis hamos,*
*Quin imò & laqueos in tua colla trahis.*
*Vſque adeo lucri te tangit dira cupido;*
*Ipſe tuam vt vitam fur tibi ſurripias.*

## Improbus diues.

*Te lapis Indus habet, candent tibi diuitis algæ*
*Germina, & auriferæ fulgor Iberus aquæ.*
*Cuncta aurum. mores ducis peiore metallo.*
*Saturni atque Iouis ſæcula ſolus agis.*

## Auarus moribundus nec moriens.

*Fabula nunc vitæ clauſit; mimum exuis: alter*
*Mimus adeſt; ſcenam ludat & ille ſuam.*
*Das tua teſtatò, fingis rata velle Nepoti.*
*Nec moreris, cœpit iam mage mimus agi.*

## Gula ad prodigum.

*Qui modò parcus homo frugi, ceu cochlea vixti,*
*Nunc cana aſſiduo perluis ora mero.*

*Ten' Medea ſuo ceu Pelea coxit aheno?*
*Qui modo auarus auus, me duce viue nepos.*

## Ad Lautum.

*Turdorum tenuem callet lingua vda ſaliuam,*
*Quæq; nitet roſeo vitrea flamma Scypho.*
*Erudit, & nardo diu cochlea paſta palatum.*
*Quid cor hic ſapiet, ſi niſi lingua ſapit?*

## Nobilis paraſitus.

*Tu cui patriciâ tradux ab imagine nomen,*
*Sceptra Palatinus lambis eburna canis?*
*Exprime, ſi quis fronte pudor. vel ſi qua pudori*
*Gutta rubet. ſed cur abs cane poſco roſas?*

## Pauper decoctor.

*Merſit agros Baccho, nunc arcti ceſpitis heres.*
*Rus breue lurco colit, vile ſaginat olus.*
*Gleba ſat eſt, fundi quem non pauere trecenti.*
*Num breuis immenſis maior agellus agris?*

## Decoctor.

*Fœnus edax amburit opes, gula deuorat aurum,*
*Aere rudi ad libram nomina nexa ſonant:*
*Et venit in nexum fundus. iam nudus auitâ*
*Dote peris, heres tu tibi viuus agis.*

## Aliud.

*Ουχεται argentum; cocus abſtulit, abſtulit hoſpes.*
*Pars ſedet vſta foco, pars natat hauſta cado.*
*Nec ratio apparet, perit æs ceu fungus ab imbri.*
*Ante necem viuo funere lurco peris.*

## Ganeo.

*Obruis, & diues ceruo viuacius æuum*
*Ducere qui poteras, iam gulo pauper obis.*

*Vt viuas, piguit patrio diteſcere cenſu.*
*Vt moriare miſer vis dare cuncta gulæ?*

## Gurges.

*Alcinoi de ſtirpe nepos abſtrudit in aluum*
*Omne penu. factus viua charybdis opum.*
*Litus vbi hic quæris? fluctuſq; in littore? arenas*
*Ren vomit, alma cado quæ cadit vnda, ſalum eſt.*

## Senex coronatus.

*Necte roſam violis, violaſq; innecte corymbo,*
*Ni properes, nectet tarda ſenecta pedes.*
*Viue memor lcti, dicunt tibi lilia; neſcis?*
*Tu roſa cana ſenex, ver cui triſtis hiems.*

## Luxurioſus ſenex.

*Diu vixti infelix, florem inter & orgia Bacchi.*
*Vita breuis; vita ſed fuga longa fuit.*
*Hæc an vita, diu mera crimina viuere vitæ?*
*Annoſo in puero dic vetus eſſe ſcelus.*

## Comtula.

*Miraris nitidaſq; manus vultumq; bigemmem*
*Stellanteſq; oculos, puniceaſq; genas,*
*Aureolamq; comam, & queis gemmat imago ſmaragdos?*
*Eſt mage quod mirer; nil habet archetypum.*

## Ceruſſata.

*Tu quæ tota nites de pixide, imago theatri.*
*Tincta comas auro, tincta genas ſtibio,*
*Pone manu ſpeculum, quo te plus cernis in illo.*
*Quo minus hic ſpectas, quæ tua forma ſiet.*

## Fucans capillos.

*Quid cani meruere, color quos alter Auerni*
*Damnat? an innocuum te pudet eſſe ſenem?*

*Canicies neſcis flos ſeri argenteus aui.*
*Si pudor eſt ſenij, quis tibi mortis erit?*

## Ad ſomnolentum.

*Purpureos Diuum thalamos & plena roſarum*
*Atria inaurato pandit Eous equo.*
*At te ſomnus habet, nec adhuc rota feruida Solis*
*Excitat in curas? id ſine morte mori eſt.*

## Procraſtinans.

*Quid tu præcipiti ſegnis deſidis in æuo,*
*Craſtina ſemper hians cui modo vita fugit?*
*Viue hodie, an neſcis? tantum qui craſtina viuit;*
*Vt ſit cras aliquid, vult hodie eſſe nihil.*

## Rex Cantor.

*In trabea & ſceptro cura tibi plectra Choragi,*
*Facundâq; animas garrula fila manu.*
*Grãde decus! Rex magnus agit Citharœdus in œſtro,*
*Rex bene vis plectro ludere: lude male.*

## Segnis.

*Tendis iter cœlo, ſed tantum tendis, anhelo*
*Fracta animo virtus iam tibi ſidit humi.*
*At vis nulla manum mouet, it tamen ardua. an ergo*
*Pro pede iam Diuos Chyragra ſegnis habet?*

## Garrulus.

*Cinna cauum pectus bibulas diſtillat in aures,*
*Ac tacito euelat vota repoſta ſinu.*
*In iugulum, metuo, vox miſſa redibit, & enſis.*
*Quam cito verba vomit, tam cito tela volant.*

## Senex Garrulus.

*Mirer, an indigner? quem vinxit tarda ſenectus,*
*Præcipiti voluit concita verba pede.*

Num-

*Nunquid eò ruptis vis currat lingua catenis,*
*Quò vetat ire pigros clauda ſenecta pedes.*

## Inſtabilis.

*Æquor vt alterno rapit aura volubilis æſtu,*
*Incerto genio ſpéq; metuq; labas.*
*Quid facis in terris mens cui natat æmula ponto?*
*Curre mari, & fluctus fluctibus alter eris.*

## Erro.

*Nunc Aſiæ prata vda tenent, nunc regna Bootæ,*
*Marmaridûmve ardens torret arena pedes.*
*Mors vbi palantem vis quærat? vbiq; ſub omni*
*Sole perit, nuſquam cui ſua vita domi eſt.*

## Somnia Captans.

*Somnus vt humenti perſtrinxit lumina velo,*
*Sollicito aſpectas horrida monſtra thoro.*
*Si cæcus vel nocte vides bella aſpera & hoſtes,*
*Et vigil es ſomno, quid vigilare tuum eſt?*

## Inops Aſtronomus.

*Aſtrologus flaui cui nil allucet in arca,*
*Solis deliquium certa per aſtra notat.*
*Crede mihi, ille foris bubo tam lynceus, errat,*
*Talpa domi, hic cæcam ſemper eclipſin agit.*

## Ad Aſtrologum ictum a capro.

*Sidera rimantem cornu caper arietat vnco,*
*Et fati incertum ſubruit aſtrologum.*
*Hîc neſcis quid agat frater cornutus; & alto*
*Tranſpicas cœlo quà Capricornus eat?*

## Aſtrologus.

*Dum procul abnoctas thalamo male pendulus aſtris,*
*Et cælo anquiris quid capricornus agat,*

*Abſenti bene magna tulit tibi cornua coniux.*
*Cæli ab cornigero mutua credo capro.*

## Antiquarius.

*Carmentæ euoluis cineres, atque oſſa Sybillæ,*
*Quidquid & ignotis abdidit Oſcus agris.*
*Sed dum ſic refodis veteres ad buſta fauillas,*
*Non hilum video; lumina puluis habet.*

## Equorum amans.

*Aſtur ouans aſpris mandit ſub dentibus aurum,*
*At crudâ in glacie pallidus Irus eget.*
*Nudior hic ſaxo. quadrupes in murice malim*
*Ire pecus, frater quam tuus eſſe bipes.*

## Hiſtrio.

*Imbellem in ſexum vir fractus ad orgia ſcenæ*
*Se locat, & glabris polluit ora genis.*
*Arguta hic dat verba manu, geſtuq́ figurat.*
*An cadit in mutam garrula lingua manum?*

## Latina deſerens.

*Orbilij nigra ſceptra tremis, rigidamq́ palæſtram.*
*Viſis inops poſitis Itala regna libris.*
*Quo mage ſic viuis, Latio male-barbarus hoſpes.*
*Quo plus ab Latio deuius exul abis.*

## Anxius in ſomno.

*Dormis? an vigilas? curas an ſomnia figis?*
*Agmina te terrent hoſtica, & hoſtis abeſt.*
*Te fugis; & ſequeris. pernox tibi tute periclum eſt.*
*Si vigilans dormis, dic vbi ſomnus erit?*

## Vitæ inhians.

*Sanguis hebet, niueis caput albicat omne pruinis,*
*Perpetuoq́ hiemat vita ſenecta gelu,*

*Et ſpe ſæcla trahis, frenum voto inijce & æuo.*
*Viuere cur properas cui properare mori eſt?*

# PANDORA.
## VITIORVM EXEMPLA.
### Dolium primum, Ambitio.
### IVLIANVS.
### Fortuna loquitur.

*STillat adhuc ſcelerata cruor per pila. cruento*
*Venit honos auro. ſceptra licebit emi.*
*Addico vetulo trabeam, & diademata. lippo*
*Impoſui. emtoris callida vendo caput.?*

### GABRINVS FVNDVLVS.

*Ante fuit votum, iunctum diadema tiaræ*
*Scindier, & Mundi bina meti capita.*
*Pænitet. an noxæ? noxam haud nocuiſſe dolorē.*
*Quis credat? ſceleris ſit metanœa ſcelus.*

Gabrinus Cremonenſium tyrannus Ioannem 23. & Sigiſmundum hoſpites ſuos ex altiſſima turre deſpectantes meditatur præcipites dare, immortalem ſibi vt comparet nomen. id ſe non executum dolet ſtans ſub carnificis manu captus à Philippo Mediolanenſi.

### PSAPHON.

*Clara tuum reſonant ſama crepitacula nomen,*
*Numina magna Pſaphon garrula turba ſonat:*
*O quam mendaci te fallit opinio ſpectro.*
*Ludibrium famæ fama maligna canit.*

Erudit Pſittacos qui canant, Magnus Deus Pſaphon & ſic edoctos dimittit.

## ANTIOCHVS ΘΕΟΣ.

*Sceptro Panomphæo tun' vilis homulle Tonanti?*
*Tun' par immenſo vitrea bulla Deo?*
*Vah ſcelus! immanes rurſum impia terra gigantas?*
*Sed cur pallor habet ſidera? talpa gigas.*

## MARIVS & SYLLA.

*Turritus cui ſurgit apex, quamq; alta coronant*
*Mœnia, iam ſciſſo pectore viſa queri.*
*Nate vides ruptas letali vulnere fibras.*
*Hei mihi qui fixit ſpicula, gnatus erat.*

## ZENO.

*Impia diſcordi ſtringi vis vincula nodo;*
*Quis furor hic? rumpit fœdera pacta Deo.*
*Præliaq; accendis dum ſcribis perfide pacem,*
*Vna dolo peccat litera, ſcribe facem.*

## ALEXANDER.

*Gloria longinquis Terras emenſa triumphis,*
*Barbarico tandem conſtitit Oceano.*
*Porrò tamen pergis, quà ſtat mare terminus Orbis,*
*Quod meta eſt terris, id tibi carcer erit?*

## IVLIA ad CARACALLAM.

*Tun' noſtro gremio? ſic ò Tigris impia fratrem*
*Innocuum? ah gnati ſanguine ſparſa parens.*
*Hoc vitæ precium? fodis, hæc fodis vbera ferro?*
*Mors hoc orta ſinu, quo tibi Nate ſalus?*

Caracalla fratrem Getam in Iuliæ matris ſinu occidit.

## DOMITIANVS.

*Ereptam poſtquam ſimul ægida vidit, & haſtam*
*Virgo timet libra non bene tuta ſuæ,*

Tra-

*Tradidit oſtipedi, & caluum pauet ille Neronem.*
*En fugit Octobrem Scorpio, Cancer erit?*
Somniat ſibi Palladem nupſiſſe, cuius & fert ægidem. Vult à ſe Octobrem dici Domitianum.

MENECRATES.

*Te ſani capitis non ſanus iuret Oreſtes,*
*Quo nouus è Graia Iupiter arce tonas,*
*Quàm metuo, medicis dum falx leti hæret in herbis,*
*Ne fratrem ſtygius te ſibi adoptat herus.*

Ad ALEXANDRVM.

*Quid ploras o magne puer, vincendus ab iſto.*
*Alter adhuc orbis reſtat, & alter honos.*
*Te iam vince potens animi, qui cætera vincis.*
*Et dic bis Mundum vicero. mundus homo.*

DOMITIANVS.

*Ille nepos Veneris, tædas tun' Pallados ambis?*
*Væ tibi, ſi ſcierit Mater & Vrbis auus.*
*His eris, infeſtæ quod erat Paris antè Mineruæ.*
*In Venerem & Martem non ſatis ægis erit.*
Ægidem Mineruæ ſibi attribuit quaſi in dotem.

# DOLIVM SECVNDVM. IRA.

FVLVIA.

*Quod mandi vetat ore pudor, vorat impia auaro*
*Lena oculo, & mandit belua dira caput.*
*In Leſtrygonios an Fuluia labere mores?*
*Tantum abes. os quantum diſtat edaçe oculo.*
Caput Ciceronis in ſinu acu conpungit.

ANDRO-

ANDRONICVS.

*Qua Graius Phaëton ferro graſſatur, & igni*
*Euphroſynæ triſti mœnia ſorte quatit.*
*Arietis hæc aries. murali an fæmina ferro*
*Aſperior? frangit ferrea corda virûm.*

Andronicus ad Niceam Euphroſynam Iſaaci Angeli inibi obſeſſi matrem murali imponit tormento, ne eo tela hoſtis dirigat.

BASILIVS.

*Arcanas latebras ferro rimatur, & igni*
*Alter ad Arctoos iam Nero obortus agros.*
*Et mortem, & vitam per vulnera, & inuia gignit.*
*Gnato blanda Parens, dira nouerca ſibi.*

MAHOMETES.

*Deſpumat gladios furor ebrius, euomit iras*
*Turca ſatur. poto plus ſitit ille mero.*
*Cerne Thyeſtæa Cæſar lacrymabile cœna,*
*Nunc epulum humanũ hoc? iam fera tygris homo.*

Capto Byzantio, coram ſecedi iubet nobiliſſimos Palæologorum.

LIMINEI FRATRES.

*Otia ludebant fratres, mors inuida ludos*
*Aſperat. inſontes vertit in arma iocos.*
*Ille boues cælo, cælo hic dum paſcua quærit.*
*Heu Orcum è pratis, alter & alter adit.*

BASILII SÆVITIA.

*Dira Thyeſtæas inceſtant orgia cœnas.*
*Infelix tem rat fercla paterna Nepos.*
*Te Sol ſi mendax auertit imago Mycenis:*
*Quam bene ab Arctoo deuius axe fugis?*

CLO-

## CLOTARIVS.

*Ad gladium metire Reos ſeu mortis ad vlnam.*
*Qui ſuperat, Diti victima pulla litat.*
*Dic mihi cur breuibus parcis, plectiſq́ Gygantas*
*Pumilo homo? an vindex Iupiter alter eris?*

Clotarius ſecundus Saxones qui filium Dagobertum leſerant vincit, & ad gladum ſuum expendit ſtaturam; qui eum excedunt, necat. anno 637.

## NERO ROMÆ.

*Igniuomo in curru magnam Mauortis ad vrbem*
*Bella tonat ſæuis belua fœta rogis.*
*Ille Nero terris ſpargens incendia, & astris.*
*Si Roma hic Phaëton ſit Tibris Eridanus.*

## CRISPVM FAVSTINA NECAT.

*Hinc Amor, inde pudor ſtetit obuius hoſtis amori.*
*Mutuaq́ alternâ tranſerit arma manu.*
*Sæuit vterque nocens, diſcordi crimine; caſtum*
*Hic agnum; inceſtam ſuſtulit ille lupam.*

Solicitat Criſpum priuignum ad ſtruprum, abnuit ille, calumnijs nouerca apud Patrem Conſtantinum opprimit, qui iniuſtè necari iubet filium, vti & nouercā comperta ſerius fraude.

## N.

*Iam mitis Phalaris, mites Buſiridis aræ.*
*Iam mitis Scythico quæ rubet vnda ſacro.*
*Sæuior hic Tigris, cui noctis ob otia, ſomnumq́*
*Ardet, homo medio viua lucerna die.*

## Fratres Palæologi.

*Hinc in bella Parens, ruit inde in prœlia Alumnus,*
*Vbera fixa Parens, pectora Gnatus habet.*

Hinc

*Hinc lac, inde cruor diſcordi in vulnera tabo*
*Diditur. o pietas, dic, cruor ille meus.*

## REX SCOTIÆ.

*Supremis tabulis moriens Auus impia legat*
*Vota, iubet cernat crimina auita Nepos.*
*Vnus erat, geminum Mors funerat hoſtibus hoſtem.*
*Viuaci hoc odio eſt morte nequire mori.*

## CROTILDIS.

*Regius Heſperiâ ſanguis qui mittitur aulâ,*
*Vindicis ardentes quærit ad arma manus.*
*Hæc lege mi frater, quot ſindon ſparſa lituris,*
*Tot numera lacrymis crimina ſcripta meis.*

## Romanus Iudæos exenterat.

*Miles hians fuluis euiſcerat ilibus aurum*
*Euoluitq́; cauo furta repoſta penu.*
*Auri mira fames! ſi quo ſeſe expleat, ipſos*
*Euacuat ventres; quis ſatur eſſe poteſt?*

Ieroſolymis obſeſſis Iudæi aurum abſorbēt, quos Romani exenterant.

## TITVS.

*Purpureus ſolio tu tandem Præſes & alter*
*Pæne Deus, Romæ ſi modò fata ſinant.*
*Fata vetant, fraterq́; cruor breue adulterat oſtrum,*
*Et ſcelus hoc fratri bis tuo ab hoſte peris.*

Veneno ſublatus à Domitiano fratre.

## Antonius caput Ciceronis epulo ſpectat.

*Tantæne irarum Romano in pectore flammæ?*
*Et volupe eſt oculo mandere hiante caput?*
*O Tigris? hoc epulum, ſcelerata an arena theatri eſt?*
*Tu nonne hac cœna Marce laniſta ſedes?*

DO-

# DOLIVM TERTIVM.

## AVARITIA & LIBIDO.

### IVSTINIANVS.

*Rex ſtruit vt ſpoliet, ſpoliat quo conſtruat vrbes.*
*Et pius vt proſit; ſenius ante nocet.*
*Fraude fabra vertit quidquid manus attigit aurũ*
*In ſaxa.inuerſus Cæſar an iſte Midas?*

### AVARVS.

*Exſculpſit tremulum quis neſcio, & ebibit ouum.*
*Quod comedo hic dixit, heu mihi pullus erat.*
*Quanta gula hæc? nudo qui viſus parcior Iro,*
*Oua bibens, pullos ſiccus auarus edit.*

D. Ambroſius talis Euclionis meminit. qui non audeat ouum ſorbere quaſi & pullum edat.

---

## LIBIDO.

### RODERICVS.

*Flecte animum, & rege frœna, vagis amor errat habenis,*
*Aſpexi. conflas lumine vtroque facem.*
*Ex illo ab Libycis arſère incendia campis.*
*Ah oculos geminum cur phaëtonta facis?*

Cauam Iuliani Comitis filiam rapit & vi opprimit. Quare vindictæ ardens ſtudio Arabas Africâ euocat, qui Rodericum acie vincunt omnemque florem extinguunt, & Hiſpaniam occupant.

### Dæmon ſe Choro miſcens.

*Vt medio ſat ſpectra foro bacchata, nigrantem*
*Neſcio qua vinxit addita Larua manum.*

Mors

*Mors erat. vt nigros tot vidit neſcia. fratres*
*Credidit eſſe. nigris iam nigra nubet anus.*

Vnde Neroni faces conſcientiæ.

*Ardentes oculos, vt vidit, credidit orci*
*Eſſe rogum, accendit Eumenis inde facem.*
*Dum propius tangit; piceas cremat inſcia pinnas.*
*Hæſit. & hinc caput hoc vrit, & vſta gemit.*

MYCERINVS.

*Cis paucos Mycerine dies migrabis ab vrna*
*Ad tumulum, pernox noctua falle diem.*
*Et tibi nocturna mors lyncea it vmbra taberna.*
*Te certò vt feriat, cœna dat vncta facem.*

Rex Ægypti cui datum oraculum intra paucos dies moriturum. quod vt eludat, dies edormit, noctes perpotat. *Athen.*

ASPICIVS.

*Inſuetum gula vadit iter: faſtidit opima*
*Nunc dapis, & voces ambitioſa vorat.*
*Arguto querulam nunc mandit aëdona morſu.*
*Num gula vocali de dape dulce canet?*

CTESIPHON CHABRIÆ FILIVS.

*Credideram Patris te cenſus ante Charybdim.*
*Error erat. nemo pluria lucra facit.*
*Vel patris oſſa tuum ſolers gulo vertis in aurum.*
*Credo ad pocla trahes aurea ſacla Midæ.*

Mille drachmis, vendit Patris ſepulcrum.

M. LVCVLLVS.

*Hic arua, ille lacus, populat nemus alter, & hortos,*
*Mille terunt ſerui limina, mille coci.*

*Cum Ioue credo Deos expectat Marcus olympo.*
*Fallere. cœnabit cochlea ſola domi.*

Etiam ſibi ſoli iubet parari opiparũ conuiuium.

## Apicius Linguas Phœnicopterorum & Pauonum vorat.

*Stellantes Iunonis aues, Linguamq́; rubelli*
*Alitis, & chortem phaſidos Aule voras.*
*Quid? cœli indigenas putri ſepelire lacuna*
*Auſus homo? id Letes credò, nec auſit herus.*

## Commodi Libido.

*Puluinar geniale thori, tædaſq́; maritas,*
*Obſcœno violas ſus lutulente probro.*
*Egregium facinus tot vincere Amazonas. altes*
*Romulidum Alcides putidus hircus erit.*

Vna nocte 100. vitiat.

## Ad Scaurum.

*Tam male moratus tu Scaure Ædilis, vt vrbem*
*Vel moriens vities. hiccine Cenſor opus?*
*Quod ſcelus hic quæris? ſtatua merx improba viua*
*Pro populo. populi ſaxea ſpectra locas.*

Legat ſtatuas populo.

## MAXIMINVS.

*Quid cerno hic hominis? ſtatua an veruecea? an alta*
*Mole Gigas? noſtros accubat ante thoros?*
*Sit quidquid lubet, ille dapũ eſt mihi viſa Charybdis*
*Quid facit in Terris? merge Charybdin aquis.*

Thrax gigantis inſtar heluo altiſſimus, nepotum gurges & macelli tempeſtas.

## NICEPHORVS.

*Immolat inferias Diti de more iuuencum*
*Myſta nigrans; magico. cui calet ara ſacro.*

Abuſ-

*Abuolat ab Tauri ceruice bipennis in hoſtem:*
*Vulnificum ferrum præpes an ala vehit.*

## Nuptiæ Ptolomæi & Arſinoes.

*Arſinoen Ptolomæus amat. ſic Iſis Oſiri*
*Et Soli enubit Luna marita ſuo.*
*Quid ſi nunc pariat? vnum quæ torrida ſolem*
*Vix tulit, an geminum terra bis vſta feret?*

## Vulpis furtum.

*Vulpinans vapide vulpem puer occupat aſtu,*
*Et tegit. illa aſpro reſcidit vngue latus.*
*Venter hiat, premit ora pudor. morſu horrida vulpes*
*Ceu Lea ſi ſæuit; & Leo raptor erit.*

# DOLIVM QVARTVM.

## LVXVS.

### SARDANAPALVS.

*Qui violas diadema peplo, & ſceptra improba fuſo;*
*Alter an Alcides ad tua penſa ſedes?*
*Omphale vbi eſt victrix, quæ lana, columque miniſtrat?*
*Semiuir Alcides Omphale inerma ſibi eſt?*

### AD SARDANAPALVM.

*Diu mentita virum ſua ſceptra Semiramis armis*
*Durat; & heroo pectore bella gerit.*
*Tu contrà, imbelli è ſolio fers penſa Mineruæ.*
*Verte vices. tu vir fœmina, & illa vir eſt.*

### AD ALBOINVM.

*Nequidquam excubijs nomen ſortiris ad vrnam;*
*Qui fallat Sinon alter & alter erit.*

*Omnia tuta time. quis enim ſat cauerit hoſtem?*
*Cuſtos Cuſtodis ſi maleſidus eget.*
Cæſus fraude ſatellitis adulteri ex Roſimundæ coniugis conſilio.

## CLEOPATRA.

*Surrepſit Cleopatra dolo, dum Marcus in armis*
*Dormit hians, cæcus pectora carpit Amor.*
*Mors ingens modico de vulnere ſerpit, & exeſt.*
*Vah quantam Ichneumon ſuſtulit iſte feram?*
Ichneumon puſillum in Ægypto animal crocodilo hianti ſe ingerit, eiuſque viſcera erodit.

## ANNIBAL.

*Aſpera te tutis belli ſors durat in armis,*
*Viciſti, imbellis luxus in arma fluit.*
*Laurea plus nocuit quàm lancea nata labori.*
*Hæc clypeum, in clades tela dat illa tuas.*

## LASCIVIA.

*Quò quò te Veneris formoſulus ille palumbes,*
*Florenti thalamo lena libido trahit?*
*Et maleſuada tenet? hoc quæris ab vbere nectar?*
*Heu Paphie ab niueo fonte venena bibes.*

## MONYME.

*Prompta mori Monyme textum diadema lapillis*
*Induit in nodum, triſte pependit onus.*
*Rumpitur. illa cadit. vitam quæ perfida fallit*
*Faſcia; debuerat fallere nolle necem.*
Mithridatis vxor, quæ eo victo, ſe ſuſpendio enecat, rupto ſemel ac iterum diademate.

## LVXVS.

*Nos ſeta, & ferro; byſſo piſcaris, & auro,*
*Nos prædam capimus, te tua præda capit.*

*Siccine*

*Siccine miraris? piſcis nos paſcit opimo*
*Fœnore; te damno pauperat. haurit opes.*
Purpureo filo, & aureo hamo piſcatur.

MOMVS ad NERONEM.

*Quid facis ad Tiberim? rubrum mare quære vel Indum*
*Linea cui murex, te niſi gemma decet.*

AD THEOPHILACTVM.

*Mitte pedũ, & mitrã, nec enim tu Myſta Tonanti,*
*O equiſo Hipponæ da flagra Myſta deæ.*
*Præſul vbi eſt quæris? prato ſe paſcit in illo*
*Petus vbi herboſa pullulat Aſtur humo.*

---

# NEMESIS.
## VINDICTÆ.

BONIFACIVS.

*VOs arſura Vrbes, & Templa ardentia teſtor*
*Ibo pari Diuum victima adeſa rogo.*
*Et dicam moriens, Libyæ fumante ſepulcro,*
*Fax cui prima fui, nunc cinis ater ero.*

AD HERODEM.

*Hoſtis an immenſo tu gleba puſilla Tonanti?*
*Vindicis ad flamas hoſtia mortis eris.*
*Mors es viua putri tabo cui verminat vlcus*
*Vitale in pœnas nonne cadauer alis?*

Fames Ieroſolymitana.

*Inuidet ambeſas puer arida ad vbera micas*
*Nutrici, & nutrix inuidet orba dapes.*
*Venter inops ventri pia nomina amoris in anguem*
*Inuidiæ, atq; odij vertit in arma dapes.*

IVLIANVS CÆSVS.

*Troiugenum ſregit ſub acinace Perſæ Dracones.*
*Incubat inſelix Itala pila pauor.*
*Marſpiter hoſtis abit Romanis transfuga caſtris,*
*Et colis ah Martem Martia Roma tuum.*

HARALDVS.

*Purpureo fulgens curru tibi gloria terris*
*Ibat inaurato conſpicienda ſinu.*
*Auguſto ſolio vt cælo cadis, exſul oberras*
*Magno e ſole vagus, crede, Planeta ſolo es.*

AD CONSTANTIVM.

*Tu ſine flore frutex, ſterili tu vitis in vlmo;*
*Semiuirum effeto cum grege ſceptra regis.*
*Quid mirum? tecum male degener aula parenti*
*Æterno æquæuam ſi ſobolem inuideat?*

AA ANTONIVM.

*Verrebas habili Nerei ſola cærula remo;*
*Stelli micante vocat te Cleopatra Pharo.*
*I ſequere hos oculos; Pharijs te aduertis arenis.*
*Id Pharos? ah Caphareï naufraga ad aſtra peris.*

CLOTARIVS.

*Quo furor in flammas, quo te rapit ardor in iras?*
*Impia an vt Chramno non pia buſta ſtruas?*
*Et tibi fata pari metitur clepſydra arenâ.*
*Sorte pari in Nato te tibi nonne rapis?*

Ter Chramnum rebellẽ in gratiam recipit, fugit ille ad Conobre alijs Canab Britonum Principem. ceditur ille. Chramnus capitur & cum vxore & liberis viuus in tugurio exuritur, Anno 563. regni Clotarij 51. qui & eodem obijt die.

IOAN-

IOANNÆ NVPTIÆ.

*Ducit Hymen tædas, vidua cornice ſiniſtrum*
*Coruus hiat omen, cras age Parca thoros.*
*Heu iſto in thalamo reperis moritura ſepulcrum,*
*Funeream feſta de face duce facem.*

AD BALBVM.

*Spicula feruenti letale adipata veneno*
*Flamaſq; Idalias liquida ad oſſa bibis.*
*Ah miſer, & ludis, propiorq; alludis Auerno.*
*Quis furor iſte? ioco ſeria damna pati.*

NAVIS NEOPORTI.

*Puppis inoffenſo criſpantia cærula remo*
*Sulcabat, ſtygijs nupta reſidit aquis.*
*Quas accendit Hymen feſtiuo fœdere tædas,*
*Mors gelido extinxit inuidioſa mari.*

DIOCLETIANVS.

*Aureus ab ſulco Capitolia ſcandit Arator,*
*Qui modo raſtra tulit dextera ſceptra gerit.*
*Sic rota fortunæ tunc forte cucurrit. agello*
*Mox patrio reddet; num quoque Cæſar arat.*

BOLESLAI CÆDES.

*Te claudo ſequitur Nemeſis pede cincta flagello,*
*Effugis? inſequitur. fortior illa fuit.*
*Cum Nemeſi celeres muta ſcelus improbe plantas.*
*Ocyor hac; claudos dat tibi Diua ſuos.*

AVRELIANI CÆDES.

*Mille tubas inter terror iucundus in armis,*
*Mars habili criſpat ſibila ſigna manu.*
*Vna breui puncto fallet te littera. Martem*
*Crediderás, mors eſt, quæ tua pila gerit.*

MVSTAPHA.

*Adriacos ripa Cithereide Luna leones*
*Vicit iô in ferro Cypria Diua gemit.*
*Ventoſum cor inflat honos; ne folle tumenti*
*Aura vel ore fluat, mors premit arcta gulam.*

Phocas Mauricium cædit.

*Quid non ambitio? qui nos metit impia ramos,*
*Aurea purpureo quos tulit arbor auo.*
*Siccine Mauricij naſci de ſtripe piandum*
*Morte nefas? arbor regia an ergo ſcelus?*

MAXIMINVS.

*Thrax vndat Latio fumantes ſanguine campos.*
*Vector iô, & ferro non ſua ſceptra rapit.*
*Purpura præda feræ eſt, proprio quã ſanguine tinget:*
*O quanti hoc ſpolium Thrax gladiator emet!*

Agrippina ad Neronem.

*Cædibus accumulas cædes; feris ignibus ignes;*
*Ille meus tantum prô ſinus ergo nefas?*
*Cæde vterum merui. diræ hic plantaria ſtirpis.*
*Te Nero quòd peperi crimen id omne meum.*

NERO.

*Cerne, ſuburbanus Lanio in tua fata ſecurim*
*Expedit, ac hamos, carnificesq́ faces.*
*Et te ludus habet? lude ô Nero. lude, cruentæ*
*Fortunæ, tragicum ludio lucar eris.*
Ad portam Metiam habitat Carnifex.

Ad CONSTANTEM.

*Quem dedis Nero ſæue neci, tibi fratrem [illegible]*
*Viuit adhuc; aderit omnibus vmbra locis.*

*Myſta Deo dedit ante ſuum; poſt fata cruorem*
*Ille tuum poſcit. victima fratris eris?*

Conſtans Heraclij filius fratrem ſuum Petrum Diaconum necat, qui vti calicem Domini (vt tunc mos erat) propinarat bibendum, ſic iam extinctus calicem iræ omni loco fratri occurſans præbet ebibendum.

## HERACLIVS.

*Heracli Herculeï tu ferrea imago laboris.*
*Par tibi ſors, itidem gloria verſa probro.*
*Impare ſed fato. lympha cadis, ignibus alter.*
*Cetera par, flammas quas tulit iſte, feres.*

## LEO.

*I miſer, intactæ decus eripe prædo coronæ;*
*Afflabit capiti rapta corona facem.*
*Quæ Patrem exuſſit fax hæres, vret alumnum*
*Nate tuum, en patrio de pede adorta caput.*

## VALENS exuſtus.

*Cæſar Oronteis Arij incendia ripis*
*Sparſit, in Iſmaria iam niue flamma cremat.*
*Mars Geticus gelido tædas nunc conflat in Hæmo,*
*Se nonne vltrò Valens vſſit? Ἄξιος ἄξιος.*

## Aliud.

*Cerbeream rabiem tumido deſpumat hiatu*
*Impius. an diræ ſurda procella minæ?*
*Audijt hæc vindex & multa piacula flammis*
*Expiat, en loquitur muta fauilla ſcelus,*

## MAXIMINVS.

*Subuertit ſors cæca rotam, ſoliumq; volutim.*
*In caput, inq; pedes, ceu rota verſa cadis.*

Ple-

*Plebeiam ad tunicam, vetereſq́; reuoluere ſordes*
*Ab trabea. is ſol j ſummus, an imus honos?*

PANCRATIVS.

*Iſmarias Graius Victor quatit ariete turres,*
*Augur adeſt, ſago murmure fauſta vouet.*
*Spes abit in fumos, ſeſe qui credidit orco,*
*Cur Æthra aſtrologo ſeruet amica fidem.*

Vindicta in Iudæos.

*Quadrifidâ rurſum lacer è trabe plorat Ieſus,*
*Et rurſum in verpos qua cadat Arbor erit?*
*Quod quondã vrbs Solymo ſub puluere triſte bidental,*
*Et buſtum Iſacidis Anglicus orbis erit.*

In Anglia apud Noortwyc Guilielmum puerum Iudæi cruci affigunt an. 1146. vnde in eos mota perſecutio. *Robert. de mart. appendic. Sigeb.*

Vltio in Saracenum.

*Lictor Arabs, magna miſit ſua tela Parenti,*
*Et reddit Arabi ſpicula miſſa Parens.*
*Excuditq́; oculum, noxam id ne crede; ſagittas*
*Iam melius cocles, diriget arcitenens.*

Torquet ſagittam impius in B. V. imaginem eique oculum excutit, imo ſibi reuoluto in autorem telo.

Ad Gauricum.

*Diſiicit, alternoq́; rapit, te trochlea lapſu,*
*Vix numeri memini, ſed puto quinus erat.*
*Quem ſua ſic verſat rota, & orcus adhamat auerno.*
*Alter es Ixion; & lubet aſtra ſequi?*

PERIVRVM.

Ad Aiſtulphum.

*Viue memor Diuûm, neu ſpreueris anxia Romæ*
*Vota, preces maius fulmine pondus habent.*

*Quam dare cæce fidem trepidæ nunc abnuis Vrbi,*
*Inſido ſonipes reddere nolet hero.*

CONSTANTIVS.

*Noxa noxa parens ſurdo latus implicat vnco*
*Quà ferit obliquo cor Metanœa flagro.*
*Teq; Deo ſiſtit. ſi quæris noxie Diuûm*
*Lumina quis fallat? nemo. latendo pates.*

HERACLIVS.

*Oblimas puteos, ſapis, anxius ante futuri.*
*Cur non & Lethes frigida ſtagna fugis?*
*In caſſum fugies, Stygiâ mergêre lacunâ.*
*Qui fons vdus aqua es, mox pyra & ignis eris.*

Vltio diuina.

*Sera quidem vindicta diem diſſindit, vt enſem*
*Strinxit, adhuc lenta compede clauda ſedet.*
*Non tamen vſque ſedet. inopina ſuperuenit orbem.*
*Plus nimium heu properant ſera piacla necem.*

# IMPIETAS.

ANASTASIVS.

*Fulmineo in nimbo vis ardens parturit Orcum.*
*Vincta metu impallet belua ſolicito,*
*Nec temerè. vſta cadet. victuro funere Auerno*
*Rurſum ardet. poterit mortui & vmbra mori.*
Ictus fulmine periit.

HVNERICVS.

*Mille neces inter. ſenſu morſuq; doloris*
*Vreris. id vitæ, cetera mortis habes.*
*Mors animat viuam pro corpore corporis vmbram.*
*Te mors ſæua iubet viuere, vita mori.*
Exeſus a vermibus.

MAXI-

## MAXIMINVS.

*Triſte ſcelus veſtit viuo malè nupta ſepulcro*
*Purpura, & in Domino vermina cruda tegit.*
*Mors hîc aut nuſquam. lena hæc num regia? leti*
*Dic pallam atratam. putre cadauer obit.*

## VALENS.

*Fax mundi illa nocens, quæ terras vſſit & æquor,*
*Vritur hoſtili nunc moritura rogo.*
*O Nemeſin! Graium Geticis piat ignibus ignem.*
*Nunquid ab ardenti mutuat hoſte facem?*

# AMBITIO.

## AGRIPPA.

*Semianimum in funus dirâ lue verminat aluus,*
*Lentaq; viuaci vulnere peſtis edit.*
*Ah, ah! quæ fati rota voluitur? ante ſepulcrum,*
*Et putris ante necem, viua ſepulcra facit.*

## BASILISCVS.

*Te citò caſurum vocat alta ad ſceptra tribunal:*
*Pellucet lacero rara ruina tholo.*
*Ne ſcande. vrget honos. iuuat ire per ardua leti.*
*Anne tibi maior caſus honoris iter.*

# SVPERBIA.

## XERXES.

*Deuius incedit elementa per inuia Xerxes?*
*Ambulat ille mari, nauigat ille ſolo.*
*Errani. errat aquis. & deuius errat arenis,*
*O Nemeſin; it recta qua decet ire via.*

# REGNI CVPIDO.

## Artaxerxes ad Cyrum.

*Si ſceptri te tangit ebur. ſi priſtina Cyri*
*Gloria; non iuſta ſpicula pone manu.*

*Pro telo cape ſceptra. tuum hoc decus, altera ſperas*
*Præmia? probra tuo ſanguine frater emes.*

Canis cædis vindex.

*Cæſus herus. ſcelus abdit humus; ſed ſidera teſtes.*
*I Canis, i cæſo ter pius vltor hero.*
*Is vltum. terris quid agis canis arbiter æqui?*
*Aſtræa ante pedes dignius aſtra coles.*

CÆDIS VLTIO.

Mauricius ad Phocam.

*Sceptra per euerſumq́; thronum fractasq́; ſecures,*
*Buſtaq́;, & oſſa ducum, iam ſtrue ad alta gradum.*
*Par ſtruit iniuſto 'e ſolio tibi noxa ſepulcrum.*
*Phoca meo neſcis funere ineſſe tuum?*

In patrem contumax.

*Ver vitæ viridi nondum defloruit æuo,*
*Et leti è glacie cana pruinat hiems.*
*Nata ſenecta repens. ſibi fur quos eripit annos;*
*Mors dedit; ætatem nox Reo an vna facit?*

Aiunt Valentiæ ſuſpendioſo barbam canam effloruiſſe, nempe tot victurum annos, nî in Parentes impius exſtitiſſet.

PARRICIDIVM. Nero.

*Merge licet, claudo pede pœna ſequetur. ab vndis*
*Mater adeſt; vrit vmbra nouerca iecur:*
*Et mater, mater clamantem hinc inde, flagranti*
*Torre quatit. nunquid parturit vnda faces?*

Merſit matrem Agrippinam quæ ceu furia eum poſt exagitauit.

PARRICIDIVM. Selymus..

*Tun' ſcelus hoc! magnum tun' ſtirps ſcelerata parentem?*
*Vſqueadeon' nomen iam tibi vile parens?*

*Quid querar? & fratres par letũ & crimen. in vno*
*Crimine quot noxas vnica noxa ſerit!*

FRATRIS CÆDES. Sueno.

*Parua breui ſolio ternos fert Dania reges;*
*Ferre Sueno negat, tertia ſceptra rapit.*
*Mox fugit. & perdit. quod quærit crimine regnum,*
*Frater habet vindex omnibus vmbra locis.*

Ariſtobuli odium in Fratrem.

*Perfidus incautum liuor ſupplantat amicum,*
*Cognatoq; furit ſanguine triſte ſcelus.*
*En violat ſæua fraterna cæde ſecures.*
*Ah odij in telum pignus amoris abit!*

Vide *Ioſephum.*

PARRICIDIVM.

Ad Conſtantem.

*Caſus adeſt, dubito frater, num fratris imago,*
*Menduci in ſomno, ſed puto frater erat.*
*Viuit enim, viuit in pœnam poſtumus vltor.*
*Quà fugis? oſtendet fumus vbique pedes.*

INIVSTITIA. Arcadius.

*Cæſareo Cæſar vinetum tranſſere campo:*
*Tranſſeris. expectas in tua pocla merum?*
*En lacrimæ iniuſtus ſibi quas vindemiat hæres,*
*Autumno illacrymat vitis acerba tuo.*

Vide *hiſtoriam Eccleſiaſtic.*

PVPILLI OPPRESSIO. Popellus.

*Triſte nepos funus, de funere pullulat hoſtis.*
*Mus erat, infeſtæ mortis & ille nepos.*
*Et patruum cœnat, alios ſua fercula paſcunt.*
*Conuiuæ hic epulum fit geniale feris.*

Cædit Nepotes vt regnum inuadat, è quorum cadauere mures ad cœnam ebulliunt.

OPPRESSIO. Gulielmus Ruffus.

*Quadrupedes vrges maleſida ad retia turmas;*
*Mors bipedem excipiet inſidioſa feram.*
*Dictynnæ hæc Dictynna tuæ. venatur opaco*
*Te luco. hîc Nemeſis pro cane ducit equum.*

TYRANNIS. Licinius.

*Miſit honos tinctam conchâ Sidonide lænam.*
*Hæc tua dos, mauis non tua, & arua capis.*
*Rapta placent? rapiére. togam nunc ſanguine tinges*
*Ipſe tuo. hoc oſtrum quis neget eſſe tuum?*

CRVDELITAS. Marius.

*Iam famæ ltuos ambuſſit liuor, & alas*
*Maſſylo en Marius deuius erro ſolo.*
*Queis Carthago ſtetit, ſedet Italus hoſpes arenis;*
*Sorte pari mœrent exul & exilium.*

AVARITIA. Rycberger.

*Vrit agrum macies, nudo ſeges aurea campo*
*Stat tibi, cui priuum publica damna lucrum.*
*Diuite paſce penu, dic emolat horrea frater;*
*Sin grege de Stygio bos tua farra metet.*

Quia negat iuſto pretio vendere, atri boues horrea tota dilapidant. *vide Bizarrum.*

CRASSVS.

*Cœnatum i, ſera vmbra vocat, vin Maſſicam, in aurum*
*Bacchus abit. ſiccum cor ſitis vrit opum.*
*Iam bibe, quæ ſlauent de diuite pocla metallo.*
*Mortuus anne Mydæ ſecula Craſſus agit?*

Aurum liquefactum à Parthis in os infuſum.

VENENVM IN POTV. Roſimunda.

*Carnificis pertæſa thorum furialis Erynnis,*
*Miſcuit infido cæca venena mero.*

*Iuſſa bibit (vis illa fuit) cum coniuge coniunx.*
*Sons à ſonte perit. iſtud Ate an Nemeſis.*

NEMESIS.

*Quod genus hoc pœnæ? quos vno crimine ſimplex*
*Noxa liget, ſoluit iam duplicata, piat.*

Vide Paulum Diacon.

GVLA. Vitellius.

*Eſto vota fluant liquente ſequacius auro;*
*Spem preme, & auerſis effuge ſceptra rotis.*
*Ni fugis, occumbes diræ votiua ſecuri*
*Victima. nonne ſedet vincta corona comis?*

Hoſtiæ coronatæ iugulantur.

ADVLTERIVM. Galeacius Maria.

*Dum miſer inceſtos ſuſpirat adulter amores,*
*Et rapit; irrupit perfida ſicca latus.*
*Exin bella fluunt obſcœna e cade tyranni.*
*An mirum hoc? Marti ſi Venus arma parit?*

---

# PALLADIS PEPLVS.

## VIRTVTES,

### Deſiderium Cœleſtium.

### Ad ANIMAM.

*EXul abi terris, & cœlo includere. puncto*
*Effodies largas, nec labor vllus, opes.*
*Hic gemma, hic opulens fons diuite manat in auro.*
*Cor vbi inaurat amor, gemmea pocla bibes.*

VIRTVS INVICTA.

*Abruptæ ne crede ſpei, neu cede timori.*
*Cui dolor hamato lancinat vngue iecur;*

*Diua tenax animi vireſcit, vulnere virtus.*
*Illa frui leto nata, quid ergo mori eſt.*

Veritatis amor.

*Me veri trahit ægra ſitis, vt fabula picta*
*Detinet eloquio, cudere docta dolos.*
*Falle tuos auro, vanaq; elude figurâ.*
*Aurea non ſitio pocula, quæro merum.*

PRVDENTIA.

*Si qua procelloſis haſêre pericula nimbis;*
*Aſtra regens certo ſidere Diua præit.*
*Fallit enim fatum gemino bene prouida vultu.*
*Sors præit hanc, cæco qui pede viſa ſequi eſt.*

PROVIDENTIA.

*Diua biceps terris fata anteit, anteit aſtra*
*Et ceu lynx oculo limpidiore notat.*
*Tuta metu, & damno, terris nominatur & aſtris.*
*Aſtra facit terris, qui ſua fata ſapit.*

POENITENTIA.

*Lapſa dolor memori ſi ſæcla retractat habenâ,*
*Expiat antiquum ſerior hora ſcelus.*
*Hic quæ lapſa redit Occaſio: reddit honorem.*
*An caluo occipiti dat Metanœa comas?*

Lacrymæ Pœnitentis.

*Cor cœlo aduerto; radius ferit, vritur illo.*
*Qui iecur arſurum temperet, imber erit.*
*Temperet? vrit aquis, & habent incendia lymphæ.*
*Quis neſcit, pluuiâ fulmina nube micant.*

LACRYMÆ.

*Ignis pectus edit, ruptis ſalit imber ocellis;*
*Inq; ſinum è lacrymis ignea gutta cadit.*
*Ne qua nocens fœdo fax aut fex corde reſidat:*
*Inſtrat aquis, igni pectora luſtrat amor.*

Serus honos ſerius.

*Diſſimula viridi famæ cunabula in æuo;*
*Fama repens famæ curtus abortus erit.*
*Serus honos pulchro contemtu creſcit honoris,*
*Sole ſub occiduo maior it vmbra gigas.*

HVMILITAS.

*Nolo caput cingat gemmanti faſcia vitta;*
*Aut oculo ſignet diuite gemma manum.*
*Gemma gelu, diadema cinis, flos perfidus oſtrum;*
*Qui negat ornari, pulchrius ornat honos.*

Amor ſanctus.

*Mutua credideram ſibi nectere vincla nocentes;*
*Muto animum. hic nullo fœdere vincta fides.*
*Purus amor, puro nodum ſed ſibi ſtringit in auro;*
*Haud potis eſt cœnum nectere pulcher amor.*

Caritas caritatem paſcit.

*Pectus in alternos fontes exuberat, vuâ*
*Dulcior, adde fauo. lactea vena ſalit.*
*O Homo ter ſapiens animal, bibe ad vbera amoris;*
*Et tibi lac aliud promet alumnus amor.*

Lacrymæ amoris.

*Purpureis cryſtalla genis vt vidit ocello,*
*Sidit amor. vitreo credidit orbe roſas,*
*Et radio pungit. liquor emicat albus. euntem*
*Guſtat aquam; dulci ros, ait, ille fauo eſt.*

MISERATIO.

*Diuidit æger amor concordi vulnera damno;*
*Pars miſeri in luctu, pars miſerantis erit.*
*Flama minor ſpargit, diuiſo fomite, flammas;*
*Vix bene ſecta nocet; quæ male iuncta necat.*

Dolens ad compatientem.

*Quot lacrymas oculo ſtillo guttante, gemellæ*
*Ceu luctus phiala; tot trahit orbus amor.*

*Momenta, & lacrymis numerat tot ſecla doloris.*
*Anne oculi ærumnis clepſydra viua meis?*

## Amoris & compaſſionis lacrymæ.

*Dulcis amor, dulci fluit vbere, & imbuit vdas*
*Dulce genas, omni dulcior ille fauo.*
*Vt miſerum aſpexit, fletu ilicet vndat amaro.*
*Quàm diſpar fonti riuulus ille ſuo!*

## E cura proximi nimia, propria pernicies.

*Fons abi in riuos; eat & tibi flumen amoris.*
*Vt viuas aliis, te tibi nolo mori.*
*Et tu frater homo es, quis amans ſeſe oderit amens?*
*O monſtrum! ipſe caret fons quibus vndat aquis.*

## Opprobrij contemtus.

*Sannio tela iacit, probriſq; aduerberat aures?*
*Vrere mordaci te ſale nolo iecur.*
*Perſer & obdura, clypeus ſe vertet in arcum.*
*Vnde gemant hoſtes tela ferendo iacis.*

## Aliud.

*Tela Lycambæo mittit furor atra veneno,*
*Effugis? inſequitur. pluria probra vomit.*
*Aure bibas? ſepi patulis iter auribus. abſens*
*Præſenti eſt, ſurda quiſquis ab aure ſtupet.*

## Quomodo ira temperanda.

*Ira fremit? ſine multa fremat. ſimul effuge. toruam*
*Tange feram, incautas appetet illa manus,*
*Necte moras, cadet ira. leo cicur induet agnum.*
*Serior hora dabit quod dare prima negat.*

## PATIENTIA.

*Si tonat ira, pari ne bella accende tumultu;*
*Malo breui eludas fulmina bruta ioco.*

Probra

*Probra dolor ſequitur,, ſequitur lis cruda dolorem,*
*Mors litem. anne decus? num furor vltro mori?*

## Ad Vltorem.

*Egregium facinus quidnam? ſub vindice ferro*
*Opprobrio hoſtili diluet imbre cruor.*
*O tigris infelix! maculoſo crimine & atro*
*Sanguine turpari, num tibi purus honos?*

## ELEEMOSYNA.

*Paupere conde ſinu, terris quod defodis aurum,*
*Et tibi de cælo fœnora certa leges.*
*Par aſtris auroq́ue color. par auctor & hæres.*
*Aurea nunc terris quæ ſeris aſtra, metes.*

## Ad Auarum.

*Tu cui multa graues intexit aranea folles,*
*Excute, de loculis aureus imber eat.*
*Nil cenſum imminues, ſi quid ſacer atterat vſus.*
*Nam cœli pretium diues, habere nihil.*

## Manus pauperis.

*Iſta manus cœli theſaurus & arca Tonantis.*
*Si ſapis, huc largas implue diues opes.*
*Siccus abis, retinenſq́ue tui. miſer Enclio cenſum*
*Quem teneas dando, tu tibi habendo rapis.*

## PVDOR.

*Aſtra genis tranquilla micant, tibi pictor honeſte*
*Purpureus vitreo lucet in ore pudor.*
*Ingenuasq́ue bibit nix frontis eburnea flammas.*
*Virgo tibi gratis purpura honora rubes.*

## Studium ſibi fructus.

*Lude manu, radiumq́ue rudi duc paruule cera,*
*Hic Sophiæ campus, vomis eburnus eat.*
*Lætus ara, ſere lætus. honos labor ipſe colono.*
*Altera quid ſperas præmia? arando metis.*

Salus & mors æterna.

*Cernis vt anguſto via diuidat arbitra ſulco*
*Hinc cœlum, inde atro Tænara merſa lacu.*
*Et dic, quam tenui leti diſcrimine & aui*
*Momento æternum fœnerat hora diem!*

Mors duplex.

*Altera pars animo depugnat & altera vitæ.*
*Vim parat hæc, furto ſæuius illa nocet.*
*Vince animum aut vincet mors altera, & altera plectet.*
*Vna gelu aſtringit, altera ab igne coquit.*

---

# CORNVCOPIA

## VIRTVTVM SPECIMEN.

CLEMENTIA. Athenodorus.

*VAna tumet Victor, vanum premis arte tumorẽ.*
*Ille orbem, at Dominũ vincis, vtrimq; labor.*
*Quam ſibi grande decus Cæſar victo ampliat orbe:*
*Tam tibi de victo Cæſare creſcit honos.*

Auguſto legem preſcribit ſibi temperandi ab ira.

OBSEQVIVM.

Harnomes ancillæ.

*Dira Syracuſias bacchatur Erynnis ad arces,*
*Serua cadit pulcro crimine facta nocens.*
*Quæ dominam vt ſeruet mentitur ſtemma Gelonis,*
*Quo plus fraudis alit, hoc minus vſa dolo eſt.*

Ancilla mentitur ſe dominam è regia ſtirpe, vt Gelonis ſeruet filiam, quæ ad mortem quæritur.

OBE-

OBEDIENTIA. Cyri Miles.

*Sub pede nunc hoſtis, vibrat manus ardua ferro:*
*Rex vetat ô! vanas ludit inerma minas.*
*Sic te vincis, abi cum lauro victor, & idem*
*Victus. in illæſo te magis hoſte domas.*

Dum tuba canit receptui enſem ſublatū ſuſtinet.

LIBERALITAS. Conſul Cracouiæ.

*Aureus inuitat hoſpes ter quinque coronas,*
*Diuiteq; infundit regia dona mero.*
*Mendicant Reges: Conſul dape paſcit & auro.*
*Hoc Amor? an victis Regibus inuidia eſt?*

Imperatorem & quinque Reges epulo excipit.

ELEEMOSYNA.

*Stamineo euerris captiuum carcere piſcem,*
*Diuite cui prægnans pectore gemmat onyx.*
*Munus habe cœlo. quid munus? vendidit auro*
*Æthra memor gemmam, quam ſibi pauper emit:*

Dans eleemoſynam gemmam in piſce cepit.

ELEEMOSYNA MALA. Iuſtinianus.

*Quas læua unca rapit, dextra erogat aurea prædas,*
*Furtiuoq; inopes vellere prædo tegis.*
*Tun' fera, an aſpra pecus? ſpolias quos improbe veſtis:*
*Agni pectus habes, cætera crede lupi.*

BONVS DOLVS.

Iuſtinianum eludit matrona.

*Lude Palatinos prægnans ſpe diuite Coruos,*
*Lude, nefas nigris præmia rara tegis.*
*Cede tamen quo dextra viret baccata ſmaragdum.*
*Altera gemma tuo pectore reſtat Amor.*

Iuſtinianus eius opes ſibi depoſcit, cuius auaritiam ſmaragdo inſigni redimit.

EPV-

SPVRINNA.

*Leno procax oculus fors ne prælibet honorem,*
*Punge, pudor dixit, ſpina pudica genas,*
*Et viola caſto fœdatos ſanguine vultus.*
*Nolo ſiet crimen mors aliena meum.*

Vultum dilacerat, ne alios in ſui amorē pelliceat.

VIRGO.

*In ſcelus atra parens oculo trahit illice Reges.*
*Gnata ſedet caſto virgo pudica thoro.*
*Quā genus hoc diſcors! hæc vpupa, & illa colūba eſt.*
*An dubitas? pullos vbera caſta fouent.*

Mater hoſtem muris adequitantem ſolicitat, vrbemq́ue prodit. Filia verò vrbe captâ columbas putidas vberibus ſupponit, vt hoſtem tetro odore depellat.

Fides coniugij.

*Romanas acuit Romana in colla ſecures*
*Prædo; ſuo an ferro vincla marita ſecet?*
*Scrinia pandit Amor. ſeruat ſera fida maritum.*
*Hîc latet orta piâ coniuge gemma fides.*

Romana mulier virum quæſitum ad mortem arcæ includit.

FORTITVDO. Scæuola.

*Errauit manus, igne luat. hic error an ardor*
*Martius? ardentes vertis in arma manus.*
*Victus abit flammis, quem ferro haud viceris hoſtis.*
*Non pugnaſſe manu, vincere nonne fuit?*

FIDES. Pompeius.

*Ardentem tibi Roma parens hanc immolo dextram.*
*Necubi periuro vox cadat icta metu.*
*Quo magis ambuſtos fax Illyris ibit in artus,*
*Pulcrior Auſonio fax ero & ara Deo.*

Rex Illyrici Pompeium Legatum adigit, vt legationis ſecreta ſibi aperiat, fidem ſuam vt probet, dexteram flammæ inſerit vſtulandam.

FORTITVDO FICTA.

Otho ſe necat.

*Ante ſuas aquilas tot frangi vt pila Quiritum*
*Vidit Otho, & telis damna tot ire ſuis.*
*Securus quò ſceptra cadant, deleuit honeſtâ*
*Morte ſcelus. pulcro vulnere fluxit honos.*

Romani egregium cenſent facinus, non ego.

SEPVLTVRA. Rodinus.

*Reſcindis tumulum, & tumulo ſolennia mittis,*
*Effoſſoq; tegis funus inane ſolo.*
*Quâ tegis, in dotem fluit aurea vena ſepulcro.*
*Quas viuo rapuit, mors tibi reddit opes.*

Inhumatum cadauer parentum pauperum dux ſepelit, aurum repperit. *Aimoin.* 3.*c*.40.

# SPHYNX.

## QVÆSTIONES.

Quid Lucifer.

*Phoſphore tu fulua dux aureus ille choreæ,*
*Phoſphore Phœbæis præuia tæda rotis.*
*Si ſpecto qua mane rubes ſol paruus Eoo;*
*Sin vbi ſero redis, altera Luna micas.*

Quid Iris.

*Sim velum an ſpeculum dubito, dic nobile velum.*
*Aureola hic pingit pictor amœnus acu.*
*An non & ſpeculum? ſpeculum dic fuſile vitro,*
*Sed liquido; en vitreo lucet imago peplo?*

Quid

## Quid Nilus?

*Stagnantes oblimat agros, ſulcoſq́; natantes*
*Cæcat aqua, Phario quæ fugit vnda ſolo.*
*Et Cererem riguo pius educat vbere Nilus?*
*Dic mare, dic cœlum, mergit & amne pluit.*

## Quid Balena?

*Belua panda cauis vndantes torquibus orbes*
*Voluit ouans, vaſtumq́; euomit alta fretum.*
*Immani pontus ſtagnatq́; vndatq́; palato.*
*An natat orca mari, num magis illa mare?*

## Quid purpura marina?

*Cæruleo eludit (caput exſere Phœbe) theatro*
*Nobile Nereïdum purpura delicium.*
*Purpura flos Tethidos cui ſpina ſatelles. auara*
*Tange manu. punget, dic maris eſſe roſam.*
Spinam habet acutiſſimam.

## Quid Lilium.

*Lilia ſiqua cauo ver tornat eburna quaſillo;*
*Vermiculatq́; auro dædala Flora ſuo,*
*Attigeris. mora nulla, fluent. quod nobile credas*
*Veris ebur; vernam lilia crede niuem.*

## Quid ſeges vndans.

*Spicifero in campo crepeis ſeges vndat ariſtis,*
*Quà molli alludit aura petulca pede.*
*Criſpantes Cereris fluctus dicam anne choreas?*
*Cui lyricen Zephyrus, de dape crede chorum.*

## Quid Fungus?

*Exſecror atratum candenti in caſſide fungum.*
*Ille ſeges leti, dira venena legam.*
*Hinc illæ lacrymæ, clypeum ne crede niualem.*
*Dic leti pharetram. ſpicula cæca ferit.*

Horo-

## Horologium ſolare & clepſydra cui par.

*Quas cælo irradians, Titan enunciat horas,*
*Nubila in innubi diuidit vmbra die,*
*Aut lenta elacrymans diſtillat clepſydra gutta.*
*Hæc oculi, illa nigrans cordis imago mei.*

## Homo Lucerna.

*Follis homo. alternas exſpirat, & adbibit aures;*
*Et viget vſque nouo fomite, lampas homo eſt.*
*Lux ſi vita; cauo cur vndant pectore venti!*
*O prohibe, ad follem nonne lucerna perit?*

## Cui par vita?

*Fons bibulos liquido fugit, & ſecat agmine campos;*
*Sed tu de molli ſterne thorum viola.*
*Et dic vita roſæ, profugoq; ſimillima riuo,*
*Hic fugit, illa cadit, hic fluor, illa nihil.*

## Quid amantis oculus?

*Aptat amor ferrum ferroq; volatile telum,*
*Iamq; ibant celeri ferrea vota manu.*
*Ardentes oculos crinito vt vidit in arcum;*
*Hinc telum, hinc arcus; teliger, inquit, ero.*

## Quid mundus?

*Cuncta lutum, Quid non vdo de puluere fingit*
*Mundus, & in nullo munere munus alit?*
*Eſto, cauo mundum color vmbrat adulter in oſtro;*
*Vrna luti eſt, rapidis quam terit hora rotis.*

## Quid mundus?

*Nuſquam tuta quies; terris turbatur & vndis;*
*Vnda minax fluctu, turbine terra ſonat.*
*Turbat inops caſa, turbat honos, & regia. mundus*
*Num globus? an fluxi turba vel vnda globi?*

## Quid Gloria fugax.

*Attenuanda cauum ſe Luna retexit in humum,*
*Plenior vt toto canduit orbe globus.*
*Hæc tua ſi neſcis Regum Rex maxime, imago.*
*Qui ſceptro attingis ſidera puluis humi es.*

## Quid Honos.

*Diues honos aurum, tactu ille terendus & vſu*
*Puluis erit. tetigi, nec mora, puluis honos.*
*Et ſibi ventus honos. cur iſto in puluere ſpirat*
*Grandia? an vt ſparſo puluere cæcus eat?*

## Quid populi Gratia.

*Aſtris vt alternis incertus oberrat arenis:*
*Fluctuat haud æquo plebs maleſida freto.*
*Et quos blanda dedit infeſta repoſcit honores,*
*An ſpolium, an donum eſt purpura nata rapi?*

## Quid Magiſtratus venalis.

*Quiſque manu truncus, cæcus nunc quiſque Senatus.*
*Quiſque ſilet. muto iudice nemo nocens.*
*Pergula pictoris fit Curia, imago Senator.*
*Muta ſedet, auro quam ſibi diues emat.*

## Quid Veſtis pretioſa.

*Quem modò plebs cubito trudebat, vt aureus aulæ*
*Exiſti, icta metu cedit vtrimque via.*
*Scilicet vndantis turbæ vim ſubmouet aurum.*
*Annulus & torques lictor an Aule tuus?*

## Quid Litteræ amatoriæ.

*Cæca Venus Marti quas miſſitat, excute ceras,*
*Sin, miſer è cera cerite tela leges.*
*Ah dulci in damno ſi quæris opima maligno*
*Mella fauo, leti te nigra punget apis.*

Quæſtio

## Quæſtio ad Ambitioſum.

*Neſcio quid cæco ſuſpiras pectore? flammas*
*Pande tuas famam futile nomen hias.*
*O miſer! vrentes omni bibis aëre fumos.*
*Vin tibi cor venti follis an olla ſiet;*

## Quid Compotatio.

*Si bibis, alterno bibit alter ab vtre Lyæum,*
*Perpetuo inde redux ambulat ore calix.*
*Oenophoro œnophorus, ſic obba regurgitat obbæ.*
*Qua ſocio ſocius mutua vina bibit.*

## Quid Heluo.

*Vix appone dapes, vorat omnia, & abdit hianti*
*Lurco gula an meſſis corbis auara meis?*
*Vix irroro ſcyphos, detergit & haurit auara*
*Fauce rapax: fuſo ſpongia an ille mero?*

## Quid Ceruſata.

*Neſcio plus peccet, vir adulter, an oblita fuco.*
*Naturam hæc vitiat, polluit ille thorum.*
*Tu quid ais picto labra cui miniata corallo?*
*Qui dolus in vultu, pectore & ille tuo eſt.*

## Quid exotica vnguenta olens,

*Ore ſedet maſtyx, redolent opobalſama collo,*
*Serta comis, ſertis myrrheus halat onyx.*
*Veſpillo huc propera, en vnctum de more cadauer.*
*Nil hominis viuit, cui niſi ſpirat odor.*

## Quid otioſus.

*Surge thoro, tandemq́ manus accinge labori,*
*Ceu lapis ignauo pondere ſidis humi.*
*Non ſedet hoſtis; agit in vulnera cæca ſagittas.*
*In ſcelus omne nigri tu ſcopus hoſtis eris,*

## Quid ignauus in imperio.

*In trabeâ auratas mundi moderatur habenas*
*Fungus iners. quanto purpura merſa probro eſt!*
*Vah pudor! in tam vile caput flos excidit oſtri!*
*Picta roſis, atrâ ſic cadit iris humo.*

---

# SPECVLVM.

## VITA.

### CIRCENSIS AGON, Vita.

*Quadrupedante leui ſonipes ſecat aëra curru,*
*Puluereumq; nigro tramite ſulcat iter.*
*Quo rota iam propior, magis hoc fugit auia metã,*
*Tangere cur properat, ſi tetigiſſe nefas?*

### HORTVS, Vita.

*Vna parens, non vnus honos & gratia florum;*
*Diues vbi vernas hortus adoptat opes.*
*Diſcolor vt picto ſat luſerit vmbra theatro,*
*Dic homo, ver vitæ ludicra Mima meæ eſt.*

### FVGACITAS FLORVM, Vita.

*Mitior vt ſudum ver annuit aura fauoni,*
*Pullulat herboſo florea meſſis agro.*
*Pullulat? occumbit ſeges aurea veris in ortu,*
*Flos ſibi falx. vltrò ſe roſa nonne metit?*

### ARANEVS, cura victus.

*Totus ego venter, credis me fortè gulonem?*
*Nemo minus; tenui vix dape libo merum.*
*Quin vt edam, in graciles extexo viſcera tramas.*
*Viuo vt edam; vt viuam, ſemper inanis edo.*

## ARISTA, Cani.

*Ne populet canas fors prædo bipenniger herbas.*
*Tela Ceres acuit, armat ariſta caput.*
*Vertit in arma comas, an quicquá his vanius armis?*
*Si lenis haſta comis, & leuis hoſtis auis.*

## ARBOR INDICA,

## Quatuor animi paſſiones.

*Verſicolor picto flos ludit honore corymbum,*
*Carpe meum & veris dona quaterna leges.*
*Ver viret, albet hiems, æſtas rubet, ater opacat*
*Hic florem Autumnus, ſi uſtifer annus erit.*

## NAVIS MARI ARDENS.

## Anima inter iram & cupiditatem.

*Concurrunt elementa pari diſcordia bello.*
*Hinc vorat vnda ratem, deflagrat inde rogus.*
*Bis perit, ah! gemino cur non it tuta periclo?*
*Nec rogus hic vndam vincit, & vnda rogum?*

## CONCHA MARGARITIFERA.

## Oculus.

*Nunc ceu fonte cadant, dulces bibit ebria rores.*
*Nunc Concha hauſta ſalo pocula ſalſa vomit.*
*Quæ conchæ facies, oculis ea viuit imago.*
*Dulcia riſus, alit pocula amara dolor.*

## MYRTVS.

## Gaudium & dolor.

*Tu cui dulce rubent primæua crepuſcula vitæ;*
*Viue memor læti conſcia myrtus ait.*
*Nonne vides? thalamo quas ſpondeo læta corollas,*
*Do tumulo; & triſti gaudia claudo coma.*
Sacra epulis & exſequiis.

VNIO

VNIO. Fletus.

*Vnio cur dicor, nunquam ſine fratre parentis*
*Ludo ſinu, it mecum gemmea turba nepos.*
*Sed quid ego infelix fraternum diuido nomen?*
*Vnio tot fratres vnicus. vnit amor.*

ARETHVSA. Amoris lacrymæ.

*Dulcè nato. an cæco via per mare ſecta meatu?*
*Naiades aut certè dicite Nereides.*
*Quidquid erit, nullo ſale Doris adulterat vndas.*
*Id quod amor lacrymis, hoc Arethuſa mari eſt.*
Per mare dulces euoluit aquas.

SVCCINVM INCLVDENS OBVIA.
Lacryma in qua affectus.
Ad Pinum.

*Non oblita tui cyanum migro exul in orbem.*
*Qua fugito, exuuias induo auara tuas.*
*Et quiduis aliud quod in arbore luſit & vmbra.*
*Gemma memor vitro claudo parentis opes.*

CICADA mas. Vir in coniugio.

*Ardenti Cererem Canis allatrat igneus œſtro.*
*Placat humi rabidum turba Canora Canem.*
*Et canit argutans dulces ſub falce querelas.*
*Luſciniam leta meſſe cicada facit.*

CLEPSYDRA. Mortis memoria.

*Nympha fugax, vitreo quæ carcere plorat & horas*
*Temperat alternis irrequieta moris,*
*Nolo putes lympham; dic, limpida mortis imago eſt.*
*Hanc ſpectà: & vinces Styx quibus ardet, aquas.*

Columba fugiens vmbram. Idem.

*Aëris immenſi campos bipatentibus alis*
*Occupat, & lentis orbibus vmbrat aquas.*

*Alet*

*Ales adunca leui fugis agmine conſcia leti.*
*Dux docet vmbra fugam. lucis an inſtar habet!*

EOVS & VESPER. Mors properata.

*Aureæ vix roſeo vitæ lux emicat ortu:*
*Vmbrat inaſpecto nox adoperta peplo.*
*Phoſphoron obſcuris cur Heſperus implicat alis?*
*Et vix nata dies tam cito iuſſa mori?*

Flos ſparſus tumulo: imago ſpargentis.

*Sparge ſepulcrali violas & lilia ſaxo.*
*Iuſſit auus. ſoluit annua iuſta Nepos.*
*Et dicit lacrymans, dum ſpargo floribus vrnam,*
*Vos ſancti ò cineres flos mei imago teget.*

---

# AVLÆVM
## MVNDVS.

IRIS. Mundus.

*Aureus vt vitreo ſol nimbo arriſit, & imbri:*
*Æmula diuiduum reddit imago caput.*
*Sic breue ver cæli pluuio ſe pingit in arcu.*
*Plaude roſa. en nihilo plus nihil ille tuo.*

VMBRA: Mundus.

Ad Hominem.

*Quadrupedante ſonans quatit agmine currus Olympum:*
*At pedes vmbra nigro ſtans pede, ſerpit humi.*
*Et vis Æthiopis furuam mentita figuram,*
*Spectra ſequi? cælo ſol cui ducit iter?*

SITIS & SATIES IN SOMNO: Mundus.

*Vt thalamum furuis ſomnus vafer appulit alis,*
*Attulit è nullo quæ flagrat igne, ſitim.*
*Attulit & lymphas; ſed queis tu ſiccior exis;*
*Si bibis. anne ſuas hæc aqua potat aquas?*

VENTVS MVTATVS: Proſperitas infida.

*Mors Zephyros inter, blandiq; volumina ponti,*
*Obruit infido naufraga vela mari.*
*Quid mihi cum Zephyro, Zephyrus ſi turbo carinis,*
*Et medio in curſu ſi via meta viæ eſt.*

CALAMITAS: Fortuna.

*Quæ cæli inuidia hæc? ſata læta boumq; labores*
*Dilapidat querulo ſaxeus imber agro.*
*Quæ prius indulſit terris, cur eripit æther*
*Munera? an in Superos & Metanoëa cadit?*

ARANEA: Cura inanis.

*Apta capi ingentes meditatur aranea telas,*
*Quo ſibi magnus emat pabula parca labor.*
*Vſque adeò viles in curas prodigit æuum!*
*Nil vt agat; textrix ſedula ſemper agit.*

PVRPVRA: Gloria.

*Sidonij Regina maris vix ludere cœpit*
*Cæruleo in regno; naufraga Parca rapit.*
*Purpuream en animam Tyrias exſpirat in vndas:*
*In concha hâc vultus gloria ſculpe tuos.*

LAVRVS: Gloria.

*Guſto ... mus quod Phœbus amat, contriſtat amaro*
*Me folio & bacca. nunquid amaror amor?*
*Mitis amaricies Daphne comes alta triumpho.*
*Num bene amaror habet, dos cui dulcis honor?*

PAVO.

PAVO: Gloria.

*Gemmea credo tuas excuſſit ſcrinia in alas*
*India, tot luces diſcolor aura facit.*
*Hîc aſtri genus omne micat. vin' cætera ſpectem?*
*Tot maculas gemmas crus tibi nonne lutum?*

TESTVDO è qua chelys gloria poſtera.

*Huc ades ô teſtudo, cauo da pectore neruos*
*Tendere, & arguta carpere fila manu.*
*Nunc iterùm viues plectro facunda magiſtro.*
*Muta prius, diſces poſtuma ſuada loqui.*

NIX: Honor.

*Vt cœlo excidero, par omnibus ambitus, omnes*
*Candida læua tegit, cur fuga tanta foro eſt?*
*Quiſq; domum ô properet, puncto lana ibit in imbres.*
*Triſte lutum eſt dices, nix toga cana toga.*

FLVVIVS: Fama.

*Quo plus vito patrem, plus educat alma ſequacē*
*Vbere Nympha, nouis plus tumet amnis aquis.*
*Creſco fugâ; ab tergo fons largior implet alumnum.*
*An fugere id fontem, num mea dona ſequi eſt?*
Fluuius quæ procul ſunt irrigat.

PAPILIO: Gloriæ amor. ad Aquilam.

*Ardentem contra tu ſpectas lynceus orbem:*
*Specto vigil pernox quæ mihi tæda micat.*
*Hei mihi flamma latus rapit improba, & ambedit alter*
*Papilio, an Phœnix? fax vice ſolis erit.*

COCCHENILLO: Amor honoris.

*Textile duco glomus lanato pectore; vitæ*
*Fila traho? an leti licia pulla lego?*

*Hei mihi: texo mei vitai è ſtamine telam.*
*Tela mihi laqueus, texere id arte mori eſt.*

HEDERA AD VLMVM:
Homo tenuis apud potentem.

*Anguipedes hederæ ſoboles erratica terræ*
*Audaci aſſerpunt in nemora alta gradu.*
*Illaqueantq́, tenaci ingentia brachia cirro.*
*Terra quod ima negat, alta dat vlmus iter.*

Hedera ſuo impar oneri, improbò palmitum niſu per ramos ſerpens, in arborum ſumma euadit: itidem & tenuioris fortunæ homuncio potentioris aſſurgens adminiculo ſolium affectat. ibidem vanus ipſe, vano honoris purpuraſcens corymbo.

APIS IN ROSA: Cura in honore.

*Aureus vmbo roſæ ſibi adhamat, & vrit ocellos.*
*Carpo manu, & pictis oſcula libo genis.*
*O ego non prudens! apis emicat hoſpes, & hoſtem*
*Incautum pupugit; hei mihi ſpina roſa eſt.*

PVRPVRA: Rex cæſus.

*Pota ſalo viuo ſe Sidonis ebriat oſtro*
*Purpura, Nereidum nobile delicium;*
*Et roſeum icta decus vomit, & cū ſanguine vitam:*
*Morte ſua vt viuat Regis adulter honos.*

AQVILA concham frangens:
Caſus è ſolio.

*Fulminis ignipotens furit arbiter ales ad æquor,*
*Prædatur q́; ſuas ſaxea caſtra dapes.*
*Et tollit, pariterq́; neci demittit. adunca*
*Cur fera bis tollit? concha bis apta mori eſt?*

BALÆ-

BALÆNA: Tyrannis.

*Oceanum & queruli piſcoſa peculia Nerei*
*Haurit, & hauſta auido funerat orca ſpecu.*
*Et Neptune tuos tu cete credis alumnos?*
*Dic potius populi viua ſepulcra tui.*

QVERCVS EROSA A TINEIS:
Tyrannis à populo exciſa.

*Quæ tango aërio caua nubila vertice, ſurdo*
*Me ſenij oblimat dente maligna dies.*
*Arbore quid maius, tineæ quid vanius armis?*
*Et tamen hæc ſummas tantula vertit opes.*

FORMICA: populus. tyrannum perdens.

*Nos tenues animæ, tenues ſine corpore vitæ;*
*Quêis tamen in prædam meſſis & arbor abit.*
*Et breue nos animal gens perdere nata cupreſſos?*
*Formica in gutta dic elephanta tegi.*

ECHO Adulatio.

*Anritis ſcopulis reparabilis accinit Echo,*
*Ac animat verbis verba aliena ſuis.*
*Mima ſoni, truncoq; accudit nomine nomen.*
*An linguam & ſaxis æmula Diua dedit.*

SOL: Gloria. BVBO: Liuor.

*Vt ſolem alternus ſequitur chorus aureus aſtris;*
*Sic it ſidereo te pede fama ſequi.*
*Bubo myops, liuor limo hoc decus vrit ocello.*
*Lippusq; illacrymans hoc quoq; ſolis habes.*

Somnus exſomnis: diuitiæ.

*Quæris hians aurum, vigilant in fœnora curæ.*
*Quid vigilant? dormis. ſomnus & error opes,*
*Somnus opes? vtinam. nimium vigil vſque doloris*
*Fax erit, heu oculis quæ fugit vmbra, tuis.*

## ERICIVS: opum auidus.

*Augur inops brumæ, curuo quatit vngue racemos,*
*Et legit autumnas ſpiniger hoſpes opes.*
*O fatuas curas! rapit excluditq; malignom*
*Furta ſpecu. Dominò fur domus arcta ſuo eſt.*

## HYPANIS: Gaudium è vino.

*Vix Hypanis dulcẽ Scythica ab niue debibit amnem,*
*Triſtificis violat riuus adulter aquis.*
*Vitrea vbi terræ ſic vbera acerbat amaror;*
*Fons ſpeculum vitæ triſtis imago meæ.*
Fons Exampæus amaris aquis inficit. *Cic.*

## PARDVS: Venuſtas.

*Triſte caput Pardo. redimit natura venuſto*
*Flore probrum. picto ſpirat odor corio.*
*Ille feras maculis atque aurâ inuitat odorâ,*
*Venaturq; ſagax; Pardus an ergo canis?*

## SCORPIO, Illecebra.

*Brachia fallaci prætendis adunca ſub hamo.*
*Sed ferit ignaros cauda bifurca procos.*
*Quid potius metuam, dubiũ; caudam anne lacertum?*
*Vi plus iſta necat, hic mage fraude nocet.*

## MAGNES FERRVM TRAHENS: Miles bello viuens.

*De ferro meruit Magneſia gemma ſalutem,*
*Vnde ſibi arcano pabula dente metit.*
*Et lapides ſuus vrit amor, ferale metallum*
*Mors homini, at ſaxeo ferrea vita proco eſt.*

## LVXVRIES depectenda in Segete: ſic & in ſtilo.

*Luxuriem teneræ preme cautus, & opprime in herba:*
*Creſcit enim damnis ambitioſa ſuis.*

*Si bene pexa Ceres, comtus ridebit agellus.*
*Qui minuit, auget falx quod adunca metat.*

FLVXVS: interpretatio veterum.

*Vnda premens vndam ſequiturq; fugitq;, volutimq;*
*Errat, inexplicito curua per arua pede.*
*Hæc premit, illa præit. liquor omnia, & omnia curſus*
*Flumen idem: at fluor his alter, & alter aquis.*

APIS: Lectio auctorum.

*Prata per & colles, vitreis it pendula in alis,*
*Humiduloq; fauos flore ligurit apis*
*Ebria, ſeq; onerat ſpolio bene olente roſeti.*
*Ne ſpoliet, ſpoliat, non moritura roſas.*

---

# TAPES BELVATVS.

## VITIA.

HYDRA: Vitium renaſcens.

*STat capitis ſeges aſpra, truces obtrunco ceraſtas*
*Enſe metens, hydras auctior hydra ſerit.*
*Quod genus hoc monſtri? leto cui viuitur. vnâ*
*Mors animâ vitæ fœnora diues emit.*

CAMELVS Impius.

*Qua ſecat illimi liquidus fons gramina riuo,*
*Turbat inoffenſum bellua gibba vadum.*
*Poculaq; obſcœna ducit iam turbida limo.*
*Imo lutum obſonat, dum male potat aquas.*

BOMBYX:

Conſuetudo varians.

*Vermis & error eram, ſpiſſis nunc horreo villis.*
*Terra vale, e tardo vermine curret auis.*

*Sicut eram in veterem pigra verminat ala figuram*
*Poſt annis. an Samij ſecula duco ſenis.*

Pythagoras animam fingit in varia migrare corpora.

### LVNÆ NÆVVS: Animi labes.

*Sæpe togam muto, lauo ſæpius æquore vultum.*
*Mundula vbi mundo nubere pergo proco.*
*Millenis licet erro fretis, mille eſto lauacris,*
*Merſa ſiem: næuus ſemper in ore ſedet.*

### VENTVS: Ambitio.

*Viuo nec viuo ſpiro nec ſpiro, nec vllo*
*Dego loco, at omni. nuſquam & vbiq; domi.*
*Vita fugit curſim, pretium quod quæſo laborū?*
*Quæue meâ in meta palma? repente mori.*

### IMAGO E SPECVLO: Amor ſui.

*Bis geminas oculi gemmas, labijq; corallum,*
*Argenteúmq; manus lilium & oris ebur*
*Ad ſpeculum ſpectas? Nirei caue fata. doloſum*
*Id tibi cryſtallum: mima quod vnda rapit.*

### FLVMEN MARE INFLVENS: Amor verſus in odium.

*Vitreus ille ſoli metator & arbiter aruis,*
*In pontum profugis abnatat exul aquis.*
*Oceanumq; bibit; ſors quam cito verſa fluento!*
*Quam modo reſtinxit, nunc parit vnda ſitim.*

### LIMA: LIVOR. Ad Zoilum.

*Vipereo inuiſos oblimas dente cothurnos,*
*Quæq; Sophocleo ſyrmate Diua tumet.*
*Inuide rode. aſpro quod lima terenda metallo,*
*Id mihi dens, damnis æmole dāma tuis.*

SIC-

SVCCINVM: Alieno è damno lucrum.

*Quæ viridi elacrymor Matris de vulnere, ſalſis*
*Aureus imber aquis; gemma natabo mari.*
*Poſt ſequar illecebras, & vana choragia luxus,*
*Quid? ſyluæ è lacrymis gaudia munde leges?*

CVLEX: Detractio.

*Parua culex, non parua lues, & peſtis Iaccho,*
*I procul o, bibula neu lege nare merum.*
*Sed bibis, atq; molis far exitiale Lyæo.*
*Quàm timeo in potu ne graue virus edam.*

Culex neſcio quas quiſquilias farris, vino inſpergit virulentas, ſic & lingua ſuſurronis inter pocula ſuæ maledicentiæ venenum ſerit.

---

# TAPES AMOENVS VIRTVTES.

SPINA ET ROSA: Virtus & honor.

*ARmat ſpina roſam, ſuis roſa militat armis,*
*Spina minax telum, dat roſa ſerta comis.*
*Pace vigens belloq; ſerit ſua prælia virtus,*
*Vnde ſibi felix præmia carpit honos.*

INSITIO: Correctio.

*Arbor adoptiuos parit vdo è vulnere fœtus,*
*Miraturq; ſuo non ſua poma ſinu.*
*Grande mali prætium noxa hæc innoxia ramo,*
*De ſterili è medico vulnere mala ſerit.*

SERPENS, vino immortuus,
E peccati & mortis memoria ſalus.

*Vina ligurrit hiante anima, temeratq; veneno*
*Vipera, abitq; mori, iam bene pota mero.*
*Effuge, noxa ſubeſt. aut cymbia ſparge fauilla*
*Viperea. & viues. mors necat ipſa necem.*

VNIO: Fraternus amor.

*Enodis bifori progerminat vnio concha;*
*Vnio Erythræo dos opulenta mari.*
*Vnio liuoris neuus cui nullus; at vnus*
*Tat fratrum in turba candor, & vnus honor.*

CAPRA: Mutuum obſequium.

*Pons necis & vitæ breuis arbiter incubat amnem.*
*Ponte ſuper. blando pignore ludit amor.*
*Capra pari cedit; tu ni par cedis amico,*
*Cede capræ barbam (plus ſapit illa) tuam.*

Vide Plinium. *l. 8. pulcherrima hiſtoria.*

Leæna: In liberos caritas.

*Tela micant, tuba rauca ſonat, velat haſta per auras,*
*Vrget eques ferro velite, carpe fugam.*
*Stat ruere in ferrum, & tutari pignora leto,*
*Tantus amor gnati, bis Lea pane parit.*

SCIVRVS: Animus inter aures.

*Lene ſonat blando zephyritis penna flabello:*
*I pede ſecuro pande ſciure fores.*
*Dum loquor, horrifero Boreas quatit arua flagello.*
*Claude: vel hac claudes panda ſepulcra domo.*

COLVMBA ad aquas:
Prouidentia.

*Ancupis aligeri pallens, vncæq; rapinæ,*
*Adſidet illimes Chaonis ales aquas.*

Hi s

*Hic bibit, hic ludit. ſic ſeriò luditur hoſtis.*
*Qua comes vmbroſo prænatat vmbra vado.*

ADAMAS in igne: Inuictus animus.

*Nil tepida hic zephyri penna, nil ſolis adulti*
*Manſueſcit radijs. dura perennat hiems.*
*Et medijs hiemans glacies ſtat gemmea flammis.*
*Vno æſtas, vno bruma ſtat aſpra rogo.*

LINVM: Afflictio è qua ſalus.

*Cæruleo auricomum riſit vix germen agello,*
*Triſte gemo. heu longi ſæcla doloris eunt.*
*Tot teror ærumnis; Sol quot terit aſtra quadrigis.*
*Sic tamen arte teri, mi pretioſa ſalus.*

HALCYON: Patientia.

*Aſpra volutat hiems furialibus æquora ventis*
*Rupta quies terris, fœdera rupta mari.*
*Parturit alcedo; breuis vnda recumbit inermis*
*Strata ſalo, brumæ neſcia bruma ſilet.*

LILIVM: Virgo.

*Ne tactu viola. flos hic dos neſcia tangi.*
*Neu petulans pandis oſcula carpe labris.*
*Sit ſatis ore legi vapido quod ſpiro labello,*
*Iſtud, auara licet, ſat ſibi credit apis.*

APIS in fumo: Virgo glorians.

*Rore & flore fauos fingis. ros gratia cælo,*
*Flos pudor, ingenui virgo pudoris apis.*
*Viue diu. heu vanis odor ebriat improbus auris.*
*Virgo peris omni plus ape. fumus honos.*

ECHO: Modeſtia.

*Virgo fui. Lacheſis vocales vertit in auras.*
*Nunc habito arguto garrula mima ſpecu.*
*Garrula? quam fallor? linguæ quis parcior hæres?*
*Non niſi iuſta queror, cui pudor vltro loqui eſt.*

IMBER: Lacrymæ.

*Illacrymat cælum, ſiccas rigat imber arenas.*
*Altilis irriguo pullulat herba ſolo.*
*Deq; pijs lacrymis ſurgit ſeges aurea, triſti;*
*Nube dolor: pulcro gaudia flore pluent.*

NAVTILVS: Paupertas.

*Non triſtes Hyadas pallens, vel Orionis enſem*
*Nimboſum; it patrio viua carina ſalo,*
*Se duce, ſe remo, ſe remige, Tiphys, & Argo,*
*Concha natat ponto, cui mare portus erit.*

---

# CERTAMINA.

Cælum & quies.

*NIl tibi cum terris; cælo tu dignior hæres*
*Alma quies. Q. voluit mobilis aſtra labor.*
*C. Voluitur & tellus, voluit ſors lubrica, prono*
*Verſa globo; hîc viues irrequieta quies?*

Iris gemma cum arcu cæleſti.

*Aureus humenti ſe ſindone pictor, ab alto*
*Exprimit, en tinctis purpurat iris aquis.*
*Par terræ genius, ſibi & æmula parturit irim;*
*Sed ſole hæc; atris imbribus illa perit.*

Aquila cum Phœnice.

*O nimium felix præpes, cui ſolis ab igni*
*Nata ſalus leti puluere cinnameo!*
*Et tu plus felix oculis audacibus ales;*
*Cui vitam & gnatos ſol ſine morte parit.*

Balæna & mare.

*Quæ tumefacta volutat in æquora belua fluctus.*
*I, velo & remo nauita tende fugam.*

Effuſæ

*Effugis? inſequitur vaſto orca immanis hiatu.*
*Plus mare mite. vomit, quas vorat illa rates.*

## Terra cum cælo.

*Certat humus cælo diſcors. ſua ſidera cælum*
*Iactat: humus flores iactat amœna ſuos.*
*Regia vt æthra Deo: tellus ſit regia, certè:*
*Pæne Deus terris regnat imago Dei.*

## Selenitis cum Sole.

*Cæruleo cæli peplo Sol candida Luna*
*Cornua in argento cælite pingit acu.*
*At gemmâ ſe ſculpit humi ſoror æmula. Solem*
*Vincit humi, hic aurum: gemma ſed illa micat.*

## Coralium cum Roſa.

*Germen aquæ vt purum videre roſeta corallum:*
*Victa verecundis erubuere genis.*
*Alma ſuo Natura roſas ante induit oſtro.*
*Nunc veniet victis altera cauſa pudor.*

## Arbor cum herba.

*Pulla parens luxit, eluxi & pulla parentem.*
*Verto comam; virides vt ſoror herba, togas.*
*Et teretes diſpungo comas, meq; induo gemmis.*
*Id cælo arbor erit, ima quod herba ſolo.*

## Flores & Niues.

*Certat hiems. hiemi ver certat concolor. alba*
*Hinc viola; it canis inde pruina comis.*
*Sol radio attigerit, fluit hæc, fluit illa per herbas.*
*Queis ver mitis hiems; crede liguſtra niues.*

## Flores cum Iride.

*Verſicolore ſui tellus opulenta theatro*
*Vernat ouans; tinctis vernat & iris aquis.*



BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

*Mille ſolo rident, & cœlo mille colores.*
*Ver dubito, an tellus diſcit, an aſtra docent?*

## Roſa cum Iride.

*Iris odore pluit, roſa rorat odore, ſed eheu!*
*Quam breuis Iris honos, tam breuis vmbra roſæ.*
*Vix promit; premit atra dies. flens impluo picto*
*In nimbo. anne oculis Iris oborta meis?*

## Roſa cum Aurora.

*Nunc vbi purpureo conniuet ocellus Eoo*
*Aureus, & tenui fenerat igne diem,*
*Nodus hiat, nodoq; oſtrum emicat, emicat aurum.*
*Alter humi, cælis alter Eous agit.*

## Apis ad Elephantem.

*Me parca natura manu diſtillat vt aurum:*
*Te ſtare immenſa prodiga mole dedit.*
*Tu iacta ingentes ingenti corpore vires.*
*Aurea at in gemmâ nobile viuo decus.*

## Apis cum Formica.

*Triticeos Domini populat formica labores?*
*Mel ſibi, munus hero dulce laborat apis.*
*Plus hîc vtra ſapit? rapit altera, & altera donat;*
*Iuſtior hæc; condit cautior illa penu.*

## Formica ad Apem.

*Texe thymo ceras, & odoro texe cypero;*
*Et texta è cera mel plue dulce ſoror,*
*Plus mea cura ſapit, quod non ſero, demeto. nullus*
*Hîc labor, & veſcas condo laboris opes.*

## Apis cum Rege.

*Purpureum Regum populum pulloſq; Quirites;*
*Milleno inuita Roma beata thoro.*
*Terriginis Diuiſq; epulum ſtruo concolor auro.*
*I nunc & dubita maior an hoſpes apis.*

Papilio

## Papilio cum Pyrauſta.

*Stellimicans inuitat apis me filia; flauam*
*Attigero cœnam, mors coquet atra caput.*
*Hei mihi cur lux dia meo fax præfica buſto?*
*Ignigeno fratri ſi ſua vita rogus.*
Pyrauſta igni viuit.

## Bombyx cum Aranea.

*Vt ſoror atra parit, ſic fato in retia partu,*
*Euoluo intenues viſcera nenda plagas.*
*Par opus hîc, non par operi decus. implico Reges*
*Purpureos; fuſcas vix capit illa feras.*

## Bombyx & Apis.

*It ver, it zephyrus, zephyro it comes aurea, & alâ*
*In vitrea veſcas libat odoris opes.*
*Mi folium plus flore placet. ſat mellis arundo*
*Inda parit, omni plus toga cara fauo eſt.*

## Varia cum vita.

*Vita ratis, telum, præpes, rota rapta quadrigis.*
*Aggere ſtat telum, litore feſſa ratis*
*Siſtit præpes iter, ſiſtit rota conſcia metæ:*
*At via vita via neſcia tota fuga eſt.*

## Pecus ad hominem.

*Blanda tibi natura parens, mihi dira nouerca*
*Stillat inops parcâ dona maligna manu.*
*Si tibi vita mori, floret ſpes poſtuma buſto.*
*Vita mihi in viuis, cetera mortis erunt.*

## Vita cum Funambulo.

## Ad Funambulum.

*Qua natat alternis rapidi fluor aëris anceps,*
*Vita leui filo pendula vt aura, labat.*
*I nunc & tremulo decurre rudente per auras.*
*Nonne magis dubium vita perennat iter?*

Corolla

### Corolla cum vita.

*Cirratum eſto pedem flos. priua erumpit in herba:*
*Effugit. it florem deuia vita ſequi*
*Si non plus properat. flos ſtruppo textile gramen*
*Vinctus amat: vincli neſcia vita fugit.*

### Mors cum amore.

*Mors & amor par triſte, pares iunxere ſagittas.*
*Cæcus vterq́;, pari nudus vterq́; dolo.*
*Neuter amans auri, graue nomen vterq́; doloris,*
*Par & vterq́; ſcelus. nunquid amare mori?*

### Amor cum morte.

*Mors mera victor amor, fibris expectorat imis*
*Quiſquis ineſt animus, mors mera victor amor.*
*Si qua venit mors, ficta meæ niſi mortis imago eſt.*
*Iſta mihi corpus, cor rapit ille meum.*

### Virtus cum honore.

*Par virtus, par munus honos. ambo aſtra capeſſunt.*
*Par vtriq; comes liuor, & ara litat.*
*Quos ſacra ſic iungunt, via diuidit inuia: virtus*
*Quem fugit; inuitum vult honor vltrà ſequi.*

---

# LITES.

### Purpura contra Reges.

*SI licet, ac fas eſt, litem conteſtor honoris*
*Rex tecum. eſto natem ſors breue nomẽ aquis.*
*Te mendice ſuo nonne ornat purpura leto?*
*Redde togam, aut æqua diuide ſceptra manu.*

### Formica cum Ruſtico.

*Prouida dum flauo ſub mergite pabulor hoſpes;*
*Me furti inſimulas. min tua probra pati?*

Ruſti-

*Ruſtice mentiris. meus & terræ vbera cenſus.*
*Sim tibi par heres, par cui vtrimq; parens.*

## Quæſtio ad conſulentem ſpeculum.

*Ignotum exploras ſpeculo cenſore figuram?*
*Vox ſine voce vitrum. γνῶθι σεαυτὸν ait.*
*Quid vanum es, fragiliſq; rubens ſub imagine puluis.*
*Plus vtrum hic ſpeculum? par decus, ambo nihil.*

---

# VITIS.

## Alligatur palo.

*CIrratis euincta comis, implexa flagellis*
*Nexa iugo, agnatâ de cruce ſacla trabe.*
*Hoc Bacche pretium? merui ſuſpendia, & iſthæc*
*Vincula, quæ vinclis pectora ſoluo ſuis?*

## Vlmus cum vite.

*Hic vbi populifer proſeguus ſtat collis ad amnem,*
*Pampineo cœlebs ſylua marita proco.*
*Et quos non gignat, aut innuba nutriat, vlmus:*
*Nupta paris botros, nec tamen ipſa paris.*

## Vitis vincta vlmo.

*Quid non auſit honos? ſuperas euadit in oras,*
*Dedignans humili ſerpere vitis humo.*
*Et quos non habuit ſibi quærit in aëre ramos,*
*Ars ſibi natura eſt? repperit alta comas.*

## Aliud.

*Vitis vt æqueua, ſua brachia nexuit vlmo,*
*Dum properat ramis altior ire ſuis?*
*Hæret amans, miſcetq; nemus, priuoſq; racemos*
*Vt quas ferre nequit, iam ferat arbor opes.*

Cur

## Cur vitis ſcandit.

*Autumni in regno aërios meditatur honores,*
*Vinea, purpureis ambitioſa botris.*
*Quidni frondicomas vincat generoſa ſorores;*
*Quæ domat & Reges prole racemifera.*

## Vlmus & vitis infrondes.

*Hirta prius, nulli iam nuda admurmurat auræ*
*Vlmus, & in ramo cælibe moeſta gemit.*
*Cui vitis nunc orba, pares quæ miſcuit vmbras*
*Aggemit. vna duplex exuit aura nemus.*

## Ad vineam.

*Et cadis, & ſerpis claudo pede vincta lacertos,*
*Sobria adhuc puras dum bibis imbris aquas,*
*Tam malè ſi titubas abſtemia mater Iacchi:*
*Quo pede conſiſtes, iam bene pota mero?*

## Vmbra vitis.

*Cernis vti liquido pellucet botryo vitro*
*Pampineiſq; viret concolor vnda comis.*
*Crede mihi enubit hic ebria Nympha Lyæo.*
*An tepet ab gelido flumine & igne lacus?*

## Vitis ad amnem.

*Illa ego quæ puris abſtemia vino fluentis,*
*Qua ciet aura, vagum nuto renuto latus.*
*Sobria an amnigena me Naïs inebriat vrnâ?*
*Lymphatum certè, lympha dat ire caput.*

## Cur vitis flexuoſa.

*Anguipedi è trunco anguigero pede concolor angui,*
*Anguineum palmes ſerpit & errat iter;*
*Nec fruſtra. anguigena ſub imagine ludit Iacchus.*
*Cui cirro anguicomo vina venena ferunt.*

Que-

## Querela.

*Læta diu vt ſeros decurram ſoſpes in annos,*
*Illaqueant claudos vincla maligna pedes.*
*Vtq; diu aduiuam, falx præmetit vnca lacertos.*
*Quis furor hic? leto viuitur & laqueo.*

## Cur laurus inimica Viti.

*Pampineam volui laureto cingere ſyluam.*
*Laurea ſed diſcors vitea regna fugit.*
*Mars tibi cum Baccho nihil eſt. tu ſiccus anhelas*
*Prælia; Bacchus iners ebria præla ſitit.*

## Cur vitis odit Braſsicam.

*Vnus & hic vitis, terræ te filius odit;*
*Quem fugis auerſis vinea criſpa comis.*
*Si quæras Bromio caulis cur pugnat? egentum eſt.*
*Frugi è caule penu. prodigus iſte nepos.*

## Vitis ſterilis.

*Gemmantes oculos viduâ ne quære ſub vmbrâ.*
*Pura verecundo palmite nympha pluet.*
*I ſcelus, & ſceleris ſuaue irritamen Iacche.*
*Quo minus hic Bacchi, quo mage fructus erit.*

## Vitis lacrymæ.

*Cetera nube vacant, & ſola puerpera luctus*
*Vinea primæuis nubila mæret aquis?*
*Quam triſtis facies! oculus pluit vdus in imbres,*
*Nullus vbi ſicca defluit imber humo.*

## Vnde viti lacrymæ.

*Palmes ego arguti viridis pincerna Lyæi,*
*Illacrymo, & triſti diluo fonte ſolum.*
*Nempe meam illaqueant ſtricto ſuſpendia nodo*
*Nunc matrem; ad falcem filia vt vua cadat.*

### Vitis lacrymæ & rugæ.

*Vix ego pampineo cœpi pubeſcere fœtu;*
*Me rudi adhuc ramo ruga ſenilis arat.*
*Bis pueros qua lacto ſenes iuuenante Lyæo:*
*Cur ſenij in rugis lippio ſemper anus?*

### Cur vinea plorat?
### Ad vinitorem.

*Conſere poma, rudes ſulco pater obrue vites:*
*In te qui tollet cornua, Bacchus erit.*
*Hinc lacrymæ pluuio palmes quas ſtillat ocello.*
*Iam plorat gnati poſtera bella ſui.*

### Cur vere.

*Cernis vt ad Zephyros læta hinc, læta inde ſorores,*
*Puniceiſq; parens ridet amœna genis?*
*Et ploras? lacrymis gaudi ſeris omitta & vuas.*
*Dum gemet orba parens, filia vina bibet.*

### Cur gemma cana & vua purpuriſſans?

*Tiro recens vua flos verno incanuit æuo,*
*Cur? pluuio e matris vulnere conſenuit.*
*Anne eadem gnato facies? trahit ore ruborem.*
*Inſano erubuit probra tot ire mero.*

### Vitis germina.

*Vt picturatis zephyrus ver attulit alis.*
*Gemma oculis turget lactea pampineis.*
*Nodus erat, nodo protrudo impubere florem,*
*Flore botrum. Proteu cetera verte mero.*

### Quid flos vitis & Botrus.

*Flore rudi it lanugo meus iam canet ocellus.*
*Mox vertit & viridi diſcolor vnda mero.*
*Flos vt gemma: virens ſic & mera gemma racemus.*
*Vnio flos candens, vua ſmaragdus erit.*

Matu-

## Matureſcit Botrus.

*Sobria iam vitreo traluceat lympha corymbo;*
*Vitis vt immites adbibit imbris aquas.*
*Sol coquit. ad Solem dulci rubet vua pyropo.*
*Tempora quid faciunt, Nympha Lyæus erit.*

## Botryo.

*Cortice de matris teneri lanugo flagelli*
*Emicat; en fœto palmite gemma viret.*
*Cana prius, roſeo caput induit inde racemo.*
*An ſequitur ſenium ſera iuuenta meum?*

## Botryo maturus.

*Flos rudis è gemmâ, gemmat de flore Lyæus,*
*Quæ rudis ante, virens erudit vua merum.*
*Serò ſapit tandem botrus ſub ſole magiſtro.*
*Et nil Bacche ſapis, cui ſapit vua parens?*

## Vua.

*E laqueo matris cruda vbera ebibo. vt iſtinc*
*Deſcendi, inſanis miſceo bella modis.*
*Si ſpectes Bacchi anſa; putes quid grande racemum.*
*Sin caput; anguſto quid breue ſtillo ſcypho.*

## Botrus vento excuſſus.

*Vitis vt enupſit vlmo deuincta maritâ;*
*Diſcolor en viridi iam rubet, vnda botro.*
*Inuidit boreas. vis aſpera depulit vuas.*
*Pro vino ah lacrymas vitis acerba parit.*

## Vua poſt vindemiam.
## Ad vindemitorem.

*Res redit ad reſtim, tot poſt ſuſpendia & ignes,*
*Hærebo aligeris pendula præda feris?*
*Nil noſtri ah miſeret? criſpo caput exime nodo.*
*Sin, quæ pota mero nunc labo: ſicca fluam.*

Vinum

## Vinum è botro.

*Quos hyalo è viridi folijs intexo pyropos,*
*Vlme, vel orne tuis; populé ſiue tuis.*
*Flexus vbi Autumni gelidam deuerget in Arcton,*
*Pocla dabo è gemmis. num Scyphus vua mero?*

## Aqua vinum temperat.

*Ardentes Bacchi furias, & bella niuata*
*Frangit aquâ miti Nympha marita mero.*
*Ille nec illa nocens. en quo concordia Iacchum?*
*Cur fratri autumno ſobria pugnet hiems?*

## Vindemia pluuioſa.

*Induit in ſteriles ſe vitis adultera frondes,*
*Proq; mero lacrymas degener vua parit.*
*Vinitor Autumnus vernum ſe vertet in annum,*
*Illacrymans botro vindemiabit aquas.*

## Vitis ad Bacchum in nimbo.

*Ægra cado. ah matri tu fili noxius hæres,*
*Nympha etiam nutrix noxia. mergit aquis.*
*Noxia nympha, magis Bacchus mihi noxius hæres.*
*Illa merum, vitam tu mihi gnate rapis.*

## Querela.

*Ebria dicor anus, ſed cur ſim neſcio, puras*
*Dum rudis vua viret, potito pauper aquas.*
*Sobria vti creſco, ſic viuo ſobria. Bacchum,*
*Non amo. cur odi qui mihi dulcis amor?*
Vino affuſo perit vinea.

## Palinodia.

*Tun' natum ſcelerata tuum Medæa, Lyæum?*
*Plus furis abſq; mero. maior id ebrietas.*

## Vinum viti noxium.

*Sobria vt inſanum domitet fors nympha Lyæum.*
*Diluis imbrifero naufraga vina mari.*

Sed

*Sed quid opus lympha, quæ vitē extinguat & vuam*
*Si vis Nympha merum perdere, perde mero.*

## Acetum.

*Ardebat! gelido Bacchus ſe vertit aceto,*
*Quam ſibi res diſcors iam ſapit vua gelu,*
*Et tibi deliciæ vitium morientis Iacchi?*
*Id gula lauta? gula eſt ebria ſobrietas.*

## Cur vinum alligat ſenſus.
## Vua ad hominem.

*Vimineo in nexu male pendula filia terræ*
*Vincior, & mecum non bene vincta parens.*
*Improbe prædo lues, per ego iſta piacula iuro.*
*Et qui te vinctus vinciat, vltor erit.*

## Cur vino titubat pes.

*Pectus vt influxit vapido grauis obba Lyæo:*
*Claudicat obliquo pes animuſq; mero.*
*Anguipedi alta parens quæ palmite ſerpit in vlmo,*
*Vuam clauda docet, quod docet uua pedes.*

## Cur Bacchus vacillat.

*Obliquos rugoſa parens decurrit in artus,*
*Et cœlo obliquo currit in orbe pater.*
*Sol & mater anus ſi curuo it limite: vitis*
*Filius incuruo cur neget ire pede?*

## Cur fatuus.

*Si nil Bacche ſapis, tua ad orgia prodigus oris*
*Ac animæ, haud miror, nec ſapit alta parens.*
*Tota viden'. vetulis delirat marcida rugis.*
*Quid ſaperet gnatus, cui ſua mater anus?*

## Bacchus duplex.

*Credideram vitreo te ſimplex pectore nomen.*
*Teq; parem vitro perſpicuove mero.*

*Vt video, fallis iam nubilus, inde ſerenus.*
*Pro Baccho, ergo bifrons Ianus Iacchus erit?*

## Cur Bacchus cor nudat.

*Arcanum omne ſinu, penitiſq; euiſcero fibris.*
*Me ſcelus hoc, neſcis? erudit vua parens.*
*Vt ſua perſpicuo botryo præcordia vitro:*
*Sic & cor aperit de botryone liquor.*

## Bacchus cur doloſus luctator.

*Membra dolo nexat ſolers luctator Iacchus.*
*Dum caput aſſultat, ſubruit arte pedes.*
*Hos docuit nexus luctantem mater Alumnum:*
*Nectitur illa pedes, nectitur illa caput.*

## Bacchus callidus non ſimplex.

*Mentis inops Bacchus mentem eripit, eripit aurum;*
*Perſpicuoq; abdit aurea furta mero.*
*Fur nimium ſimplex! vitreo quem pectore fallat?*
*Hoc ea fraus maior, quo minus apta tegi.*

## Tumultus è vino.

*Præcipiti ruere omnia viſa repente tumultu,*
*Quo me cumq; furens æſtus, & ardor agit.*
*Eſt ego quod mirer. vis cur tam turbida Baccho?*
*Id docet vua parens? tota modeſta rubet.*

## E vino ardor.

*Rideo dulcè furens. bibe, & ilicet hauſeris ignem.*
*Non æquè Ætna rubens, ac mea Nympha flagrat.*
*Idq; vel in glacie. quid non ferus auſit Iacchus?*
*Si nos, queis flammas temperat, vrit aquis.*

## Quid ebrietas.

*Mens labat incerto, titubant veſtigia lapſu;*
*Et ſaliente natant lumina merſa mero.*
*Vin' dicam? medijs gula nauigat ebria terris.*
*Nauſeat ægra, vomitq;, an mare dulce merum?*

E vino

## E Vino furor.

*Mitte priùs, toruis caput aſperat Euius armis,*
*Et vario enantes induit ore feras,*
*Cornuaq́; attollit. num Circe enupta Lyæo?*
*Vnde ſibi diſcors beluæ factus homo eſt?*

## Cur è Baccho prælia.

*Vitigenum vt ſuccum pecus ebibit ebria Iacche,*
*Arma fremens cœnat prælia, bella vomit.*
*Nempe truces plectit Rhamnuſia virgo nepotes,*
*Omnia quæ perdunt, perdit & vua feras.*

## Cur cornua Baccho.

*Antè cicur Semeles pullus. nunc cornua adoptat,*
*Et furit, vt miti contigit ora botro.*
*Arietat hos illos obnixo in prælia cornu,*
*Id Bacchus didicit ab patre. Taurus erat.*

## Quæſtio ad Ebrium.

*Inſano vt Bacchi thyrſus te perculit œſtro,*
*Claudicat ingenium, mens fugit vda mero.*
*Balba natat vox, oſſa tremor quatit, excidis amens.*
*An ſæclum vna dies? te facit hora ſenem.*

## Cui par decoctor Ganeo.

*Pars æui melior Bacchæiam effluxit in obbam.*
*Dira ſedet curto nunc metanœa penu.*
*Ingentes lachrymas totis admetiar vrnis,*
*Sic lacrymat preſſo vinea nuda botro.*

## Ad Pincernam regium.

*Anxia pallenti quid libas pocla labello?*
*Malo catus vites; mors natat vda cado.*
*Sed bibis. inuitas ſcelerata ad pocula Parcas:*
*Cui gula ſpes vitæ, cur tibi dulce mori?*

### Terra ad potorem niuium.

*Quæ modò ſupplicium, magnæq; vredo parentis,*
*Fracta mero glacies, nunc tibi delicium.*
*Ergo meis tu pocla (nefas!) vis ebria pœnis?*
*Impia carnificum gaudia nate bibes?*

### Pœna è vino & morbi.

*Lude, licet, plenis eriua pocla cucullis.*
*Lude, ſedet nigro ſobria noxa cado.*
*Fax ea, ſi neſcis, exhauſto ſera Lyæo:*
*Poſtumus inceſtat gaudia fluxa dolor.*

### Lippitudo è vino. Ad Nemeſim.

*Cui non flagitio leno maleſuadus Iacchus?*
*Quod non obba meri peccat inulta ſcelus?*
*Plecte Reum. en lippus ſalſos it Bacchus in imbres.*
*Ebrius ille Deus, ſobria Nympha gemet.*

### Chirargicus.

*Inuito Cererem, comitemq; inuito Lyæum;*
*Hei mihi, ſaxifico ſtat manus aſpra gelu.*
*Cur ſoluo vltrici Niobæa piacula ſaxo?*
*An Niobes crimen Liber & alma Ceres?*

### Quæſtio ad Chirargicum.

*Ebibe lurco cados, imâ ſtat calculus obbâ,*
*Saxifica (cernis?) calx lapit alba manu.*
*Omnis an ergo dies niueo ſignanda lapillo?*
*Cur ſemper digitis candida creta tuis?*

### Hydrops è vino.

*Eſt mihi Bacchus auus, parit ebria filia Iacchi,*
*Luctus alit riſus poſthumus ille nepos.*
*Nonne tui mirus vino pincerna doloris?*
*Vita è dote necem, flumina promo mero.*

## Calculus ad hominem.

*Me gignis Baccho, & læta dape gigno dolorem.*
*O quàm viuit auo diſcolor ille nepos!*
*Morte patrem vt plecto, ſic plectis & vltor alumnũ,*
*Meq́ ſecas. iuſtum nos tenet ambo ſcelus.*

## Hedera.

*Ite procul Thyades, Thyaſi procul ite virentes,*
*Nil Hederæ & Baccho. deſpuo caſta merum.*
*Deliciæ mera lympha meæ, & Bacchi ambio thyrſos*
*Ebria? carpe meos ſobria Nympha botros.*
Vinum reſpuit.

## Hedera par viti.

*Palmes vt obliquis innectit vincla lacertis,*
*Sic viridem in criſpo termite ſtringo procum.*
*Gemmat vt illa botro, ſic & caput orno corymbo.*
*Aut docui, aut didici, quo rubet vua merum.*

## Votum Hederæ:

*Brachia captiuis innecto procacia ramis;*
*Altera ego criſpis vinea mima comis.*
*Si coma par, par forma, pares in brachia flexus,*
*Et par penè botrus. par ſit vtrique merum.*

## Scyphus hederaceus.

*Miſta mero an tumidum caſtigat Nympha Lyæum?*
*Preſſa corymbifero defugit vua ſcypho.*
*Fraus hederæ hæc. Baccho tot quæ dedit antè coronas,*
*Inſido cyatho cur dare pocla negat?*
Hederaceo vaſi aquam & vinum ſi infuderis, vinum effugit.

## Hederacea corona.

*Tempora frondenti Ciſſeidos abde corolla:*
*Si vis vua fluat vbere pota mero.*

*Flos hederæ ſterili promittit vina racemo.*
*An parit ab Bacco quem tegit illa merum?*

Lætior vt ſit vineæ prouentus, frons hedera cingenda. *Pallad.*

# PROBLEMATA.

## NATVRALIA.

### Vnde Mundus ſemper in motu.

*VErſa rotant elemẽta globum. labat anxia mũdi*
*Machina. quo quæris turbine? nullus erat.*
*Impulit vltrò ſuam (mundus ſi turbo) ruinam,*
*Pendulus è nihilo ſtet globus inter aquas?*

### Cur Sol in India oritur. Ad Indum.

*Vt Sol Oceano natali emerſit in auras,*
*Gemmantes radio diuite inaurat agros,*
*Teq; oriens ambit auro præſignis & oſtro.*
*Credo tuas gemmas aureus hoſpes amat.*

### Cur Sol nunquam in Septentrione.

*Exul Hyperboreâ ſol cur abnoctat eremo?*
*Et procul ab plauſtro cælite iungit equos?*
*Triſte malum hîc; vrſi terris graſſantur & aſtris.*
*Sol amet immittes (ἥλιος ille) feras?*

### Cur Sol ſe ad Iridem obnubit.

*Non tot picta ſeges, nec tot Tethis æquore vultus*
*Induit, aut vitreo gemmea turba mari;*
*Quot trahit Iris aquis, & fuluo è patre colores,*
*Sol cui Gnata decor pulchrior, abde caput.*

## Ad Lunam.

*Cur toties merſas Phœbe tua cornua Ponto,*
*Cornigerúmne ſalo vis adaquare bouem?*
*Quis vetet, Oceano ſi mergit in æquore anhelos*
*Frater equos; iſtinc & ſoror vda bibat?*

## Cur Luna toties euaneſcit.

*Perpetuum ad ſpeculum puris caput eluo lymphis;*
*Nec tamen emaculo, quæ ſedet ore, notam.*
*Mene pati hoc? tollam toruo fera cornua vultu.*
*Heu quid ago! næuum dum lauo, perdo caput.*

## Vnde Lunæ pallor.

*Tu quæ ſidereæ frænos moderare choreæ,*
*Alternum auricomo ſponſa venuſta proco,*
*Cynthia quid palles? an cœca piacula noctis,*
*Et lemurum inſidias anxia virgo paues?*

## Cur Luna incurua occidit.

*Vix Phœbe impleuit argento cornua & auro;*
*Frangit, & vſque minor triſte retexit opus*
*Ac fugit, inq́; pedes vertit ſua cornua. curuo*
*Cur pede Luna labat? clauda ſeneſcit anus.*

## Cur è Luna fatuitas.

*Sidera ſi ſpectes, quam credes ſurgere cælo,*
*Decurret cerebro deuia Luna tuo.*
*Cur caput infatuat Cæleſti Cynthia ſucco?*
*Nonne it ſidereo luſca magiſtra choro?*

## An Luna ſapit.

*Quid cælum ſcelus hoc? error num ſidera tangit?*
*Tangit, & incerto limite curſus agit.*
*Nonne choros agitat error ſeptenus in orbem?*
*Quid Luna hic ſaperet, quam rota verſa rapit?*

## Cur Eridanus cœlo.

*Quid cælo Eridanus? tot caſtra per ignea fluctus*
*Voluet inoffenſo lubrica Nympha pede?*
*Voluet agens. curſu Sol feſſus & æquore ſalſo*
*Iam ſatur, hîc dulci flumine aquatur equos.*

## Cur Sol & Luna non ſimul.

*Antè aſpri blando iungant ſe fœdere echini:*
*Quàm cum prole parens par comitetur iter.*
*Quid? bellum & cœlo eſt? Phœbo cur diſſona Phœbe?*
*Ille laboris iter currit, at iſta choro.*

## An Vmbra ſapiens.

*Decreſcit medio quo creſcere debuit æuo;*
*Et cùm non decuit, naſcitur vmbra gigas.*
*Sic nil vmbra ſapit. informis in puluere ſerpens.*
*Miraris quod agat nil bene? cœca iacet.*

## Cur Fumus lacrymas excitat,

*Inclytus antè parens auro par fulſit & oſtro.*
*Concolor erubuit Sidoni concha tuo.*
*Et furuum Æthiopem miſer induo & vmbro parentem?*
*Quid niſi quàm lacrymas, tam niger ille, velim?*

## Cur Fumus atratus.

*Cui partim argento, flauo partim emicat auro,*
*Purpureove rubet ſidere flamma parens;*
*Tam niger informi cur luget funere fumus?*
*Perpetuo exequias it ſibi. vita mori eſt.*

## Quæſtio de Iride.

*Se liquidâ Titan aſpergine nubis in auro*
*Pingit: aquas inter diſcolor ardet opus.*
*Hæc an imago ſapit, quæ ſtat flammâ inter & imbrē?*
*Victa cadet flammis, nec minus imbris aquis.*

Cur

### Cur Iris dimidius circulus.

*Videris vt vitreo ſolem ſe pingere nimbo:*
*Dic puer, hic arcus debuit eſſe globus.*
*Quis vetat? ipſe parens, liuor quem mordet: in imbris*
*Vt decus hoc vidit, nobile rupit opus.*

### Vnde curua & purpurea.

*Sum mera lympha, meri roſeum cur guſto colorem?*
*Méne meæ ebrietas ſobria cepit aquæ?*
*Credo equidẽ, nec vana fides, bibo & euomo nimbos,*
*Quis ſcit an hinc curuo pota vacillo pede?*

### Cur in pluuiam ſoluitur.

*Quem Sol pictor auus finxit, ne quære colorem.*
*Tam fluxo in vultu nullus & omnis erat.*
*Dimidiata ſui ſed non tulit ora maligno*
*In ſpeculo. hinc lacrymis vertit & vndat aquis.*

### Cur Iris tam citò vaneſcit.

*Vix ſtetit orta, breues it Solis imago ſub vmbras,*
*Tam breue cur cœli filia currit iter?*
*Eloquar? vt vidit aliam Thaumantias Irim*
*Sideris inſtar humi, victa pudore fugit.*

Flos iris ſic dictus, ob colorem varietatis,

### Cur Iris frutetis aſpirat odorem.

*Aſpice quà picto tricolor ſtat fimbria limbo,*
*Aſpirat bibulas Iris anhela roſas.*
*Ver geminat. Irim vario de flore colores*
*Terra docet, Iris reddit odoris opes.*

### Cur poſt fulgura imbres.

Iris loquitur.

*Tendo minax arcum, tremis anxia terra ſagittas*
*Pro iaculo iratas noxia mitto faces.*
*Terra flagrat, vſſi. tanta an cœleſtibus ira?*
*Delebo lacrymis fulmina inuſta meis.*

## Cur Nix ab ortu ſuo caneſcit.

*Vix ſata nix, ſubitis ſenet ac cadit obſita canis,*
*Candidaq́; in lacrymas ilico lippit anus.*
*Ilico iuſſa mori properat feſtiua ſenectus.*
*Nonne niui ſeclum terna vel hora facit?*

## Vnde Niuium flocci.

*Quis mihi laniſicas tot carminat æthere nubes?*
*Vnde pluat nudo lanea veſtis agro?*
*An poſitâ Librâ Virgo per cærula cæli*
*Paſcua Phryxææ vellera tondet ouis?*

## Ad Niuem.

*Vis iterum inceſtum pluuia ab Ioue defluat aurum?*
*Dic caſto argento pro niue vt æthra pluat.*

## Cur Sol niuem ſoluit.

*Lanea candenti ſuccernit vellera nimbo,*
*Et terram niueâ veſtit hiems tunicâ.*
*Inuidet æthra niuem Sol limo vertit & imbri.*
*Sic quoque pura fluit nix; lauat arua luto.*

## Cur Nix alba.

*Vix ego nata, nigram matris delabor in aluum.*
*Quam ſimul ac tetigi, ſit mea lana lutum.*
*Et puncto in lacrymas abeo, nec lugeo pulla*
*Veſte. ſequor luctum candida Roma tuum.*

## Cur liquitur Nix.

*Cui ſine fæce nitor, næuo ſine candor, & ipſa*
*Munditia, immundo num bene ſido luto?*
*Peccaui. atra meas ſequitur metanœa pruinas.*
*Quot guttæ hic; lacrymis tot lauo triſte nefas.*

## Cur Gaando crepitat & liquitur:

*Imber eram, gelidis Boreas imbrem implicat alis,*
*Concreui Alpino pendula gemma iugo.*

Vt

*Vt cecidi, innocuam perdo peritura parentem.*
*Hinc lacrymæ, hinc ſteperis noxia ploro modis.*

## Grando cur ſtatim perit.

*Nata repens ſubitis durum caput induo canis;*
*Num ſenium in puncto? ſors mihi prima mori eſt.*
*Quæ vix orta, breuem cenſum deuaſto parentis.*
*Naſci & denaſci iure dat vna dies.*

## Cur Nebula euaneſcit.

*Illuſtrem ſoboles cur cœcat adultera Solem?*
*Flauicomo inuidit nobile ſtemma patri.*
*Grande nefas nebulæ! ſceleratam ó merge tenebris.*
*Quæ fuluum in patrem tam graue adorta nefas.*

## Cur Nebula ſurgat & ſidat.

*Nunc imo deſido ſolo, nunc tollor in auras*
*Ardua: Phœbæum ſemper obumbro caput.*
*Sic rapit alterno diſcors me trochlea lapſu.*
*Id merui. auricomum noxia cæco patrem.*

## Ros cur flores impluit.

*Tingit Acidalio ſtillantes ſanguine flores:*
*Dædaleâ vnde roſas terra repingit acu.*
*Puluis agens nubes oſtrum argentumve roſetiq;*
*Ne violet; puro Cynthia rore lauat.*

## Sol Rorem cur bibit.

### Roſetum loquitur.

*Concolor argento virides intermicat herbas*
*Gutta, verecundis gutta marita roſis.*
*Mox oculus mundi rapido bibit igneus æſtu.*
*Cur? gemmæ inuidit aureus ille meæ.*

## Loligo cur volat.

*Æquoreo volitat (mirum) gens ſquammea regno,*
*Arduaq; inuitis nubila tranat aquis.*

*Si ſoror orta mari pennata eludit in auras;*
*Cur non & frater penniger aſtra petat?*
Auis orta aquis.

## Vnde Mari ſalſedo.

*Grande nefas! mundi ille Parens argentea Lunæ*
*Cornua ſurripuit, cornigerumq́; caput.*
*Hinc lacrymæ, hinc guttis humectat grãdibus orbem;*
*Hinc ſal oceanas triſtis acerbat aquas.*

## Aliud.

*Opprobriis tellus, onerat me cladibus æther,*
*Incanum inſultant lignea caſtra caput.*
*Æolij in ſua iuſſa trahunt, retrahuntq́; tyranni.*
*Hinc lacrymæ, & mœſto ſalſus in ore liquor.*

## Cur Mare terras haurit.

*Vt medio aſpexit tot ſurgere in æquore terras:*
*Mugiit iratis barbara Tethis aquis.*
*Iamq́; alto vndarum præceps ruit agmine Nereus.*
*Redde mari, dixit, quod mihi terra rapis.*

## Cur Mari nauis lignea.

*Sæpe fidem infido periurus adultero fluctu;*
*Et verto ſubitas gaudia in exequias.*
*Fœdifragæ pecco periura piacula Troiæ.*
*Hinc mea Durateus Pergama vaſtat equus.*

## Cur nauis domat mare.

*Pinus iô frangit fragili, res credula, lino*
*Vndiſonas acies, Æoliasq́; rotas.*
*Ardua cur terræ non vincat filia fluctus;*
*Si leuis immenſum vincit arena ſalum?*

## Quæſtio de Naufragio.

*Cur flatu & fluctu fœtum mare ſtrauit auaris*
*Inſidias, plena quà trabe gaza natat?*

Terra

*Ferre negat plenis terrarum crimina velis.*
*Haurit opes. Tethin num ſitis vrit opum?*

Quæſtio de Arena.

*Clauda labant, fluidisq́; fluunt veſtigia campis,*
*Ancipitesq́; pedes ſtant fugiente ſolo.*
*Cur ſicco in fluctu natat vt mare arena? marinos*
*Mores attiguis hauſit vt vnda fretis.*

Quid Nilus.

*Adſpexi. Iſiacas nubes nuſquam incubat aras;*
*Aut fors ſi qua cadit littore, rara cadit.*
*Nilus agros ſtagnat, nimbo rigat vbere Nilus.*
*Nubila num cæli Nilus imago? pluit.*

Vnde ſalſedo quibuſdam fontibus.

*Terra parens oculo liquenti elacrymat amnes,*
*Gnatorum ad cædes ſaucia & vſta rogo.*
*Hinc fluer, & mirer, ſalſis quæ fontibus vndant;*
*Si terræ lacrymas triſtis amaror habet?*

Vnde fons ſalſus.

*Indigenis opulentus aquis per amœnia ruris*
*Fons ſalit: i, ſaliens diluet vnda ſitim.*
*Libo merum. bibo fonte ſalem. cur dulcis alumno*
*Ille foret, nutrix cui Tethis ipſa ſalum?*

Quæſtio cur de fonte ignis.

*Nimpha ſalit de rupe, voluti rupibus amnes,*
*Præcipitant celerem prona per arua fugam.*
*Quà ſalit vnda, auido flammam trahit ignea riuo;*
*Vulcanum an gelidis Nimpha maritat aquis?*

Cur Gemmæ mari.

*Picta coloratis intermicat vnda lapillis.*
*Nereidasq́; ſuis ditat & ornat aquis.*
*Terra ſuo nymphas vt flore coronat & vmbrâ;*
*Sic decorat gemmis Nerea Nympha ſuis.*

## Vnde Purpuræ rubor.

*Purpura Sidonio dos ambitioſa tridenti,*
*Vnde tibi illuſtri qui rubet imbre color?*
*Purpureumne bibis tot Regum è cæde cruorem?*
*Regibus vt reddas mors quod auara rapit?*

## Cur aurum defoſſum.

*Terrigenûm exitio naſcor, mundiq; ruinis,*
*Omnigeno ſceleri fax, ſeges, arrha, caput.*
*Quam benè me cæco defodit prouida Auerno,*
*Et mihi pro cunis terra ſepulcra dedit.*

## Cur à ſanguine rubigo in ferro.

*Me tenet humani ſitis ambitioſa cruoris,*
*En acuo infeſtas in tua bella minas.*
*Noxa prope eſt. quem fundo cruor me oblimat edaci*
*Tabe nocens. pecco? num mage plecto ſcelus?*

## Succinum cur ardet.

*Me lacrymæ Heliadum pariunt, parit humida Tethis:*
*Limpha mihi nutrix, & mihi limpha parens.*
*Et flagro. cur paſcit Nympharum filia flammas?*
*Filia & hæc Solis; paſcit vt ille, rogos.*

## Aliud.

*Maternis lacrymis egermino, & ambio molles*
*Degener illecebras, ſemiuirûmq; choros.*
*Vre reum vindex (merui quodcumque piaclum)*
*Ardebo vltrici gemmea tæda rogo.*

## Cur Corallum in mari.

*Sueta ſolo, cyano fruticat iam naufraga campo*
*Sylua, virent altis flux a coralla fretis.*
*Vt genus omne feras imitatur & æquore paſcit:*
*Sic Tethis vda ſuis vult dare luſtra feris.*

Vnde

## Vnde rubor Corallo.

*Vt tetigi incanas Neptuni germina baccas:*
*Par oſtro intinxit tacta coralla rubor.*
*Nereidum & Nerei tam pura monilia credo*
*Piſcantum obſcœnas erubuiſſe manus.*

## De Margarita:

*Concha biualuis hiat, cælo tener appluit imber.*
*Fuſilis argento lacryma gemmat aquis.*
*Captiuus bifidâ qui germinat vnio conchâ,*
*Fructus aquæ & cæli. dic mihi cuius erit?*

## Cur Margaritum candens.

*Pallet ebur, pallet marmor, nix pallet eburna*
*Vincta gelu. pallent miſta liguſtra roſis.*
*Vt baccam aſpexi; quem non bibat illa nitorem,*
*Quam lauat aſſiduis cærula mater aquis?*

## Cur Margarita pallet.

*Me parit alba parens, ſudo vt bibit aëre, concha*
*Filia Erythræo candida ludo mari.*
*Mox buxo ſe vertit ebur. tonat arduus æther?*
*Pallebo. quis non ignea tela tremat?*

## Vnio cur pallet ad Solem.

*Partus ego Lunæ, dos roris, & æquoris hæres*
*Gemmeus: vt puro fluxit ab imbre liquor.*
*Et violat buxo niueos Sol inuidus artus,*
*Credo piget Superos, dona tot ire mari.*

## Cur Carbunculus noctu radiat.

*Igneus aſtra facit radiante pyropus ocello,*
*Noctis honos per nox ſolis imago micat:*
*Nempe breues ardens ab Phœbo mutuat ignes*
*Iam vigil; Oceanis Sol vbi dormit aquis.*

### Cur tantum noctu.

*Vt mundi auricomus terris arriſit ocellus:*
*Dulcè micas? ſurdâ luce pyrope ſiles.*
*Quid tibi vis cui nocte dies, & viuidus ignis?*
*Cur ſub Sole fugis? num premit ora pudor?*

### Cur omni in punico acinus putridus.

*Puniceis ne crede genis, neu ſuauè rubenti*
*Crede acino; putri rancidus ille mero.*
*Inſido in vultu genium ſapuere coloni.*
*Pœnorum in pomo Punica nonne fides?*

### Vnde pomo acerbitas.

*Vnde putas viridi tam crudus acerbat in æuo*
*Mala ſapor? mundo triſte tulêre malum.*
*Hinc illæ lacrymæ. quidquid rea mater acerbi*
*Terra bibit, pomis reddit id vlta ſuis.*

### Vnde pomo rubor.

Ad Hominem.

*Me duce flammiuomos ruperunt fulmina nimbos,*
*Et ſons purpureis rideo ſuauè genis,*
*Nolo putes riſum, roſeis quem ſpondeo buccis,*
*Erubui. it nocuo conſcius ore pudor.*

### Cur palea poma maturat, & niues ſeruat.

*An tacito mecum diſcors depugno duello?*
*Ferueo, poma coquo; frigeo, ſeruo niues.*
*Æſtati ſe miſcet hiems; hic frigus, & æſtus.*
*Sol pater hunc; illud dat mihi terra parens.*

### Cur pyrum lapidoſum.

*O genus infelix! me vix tulit anxia partu*
*Arbor, & exſectum ruſtica turba metit.*
*Nunc ô nunc Nemeſis lapido quem nutrio alumnum.*
*Durus vt hic: durâ ſic dape plecto reum.*

## Cur Morus nomen ſtulti adſciſcit.

*Relliquias brumæ gelido ver ruminat Euro;*
*Canicie hinc ſerâ florida como caput.*
*An plus vlla ſapit? & me tu Ruſtice μῶρον?*
*Deſipio. icta probro quòd tibi poma feram.*

## Morum cur rubet.

*Morus ego, quo nulla ſoror plus prouida. florens*
*Veris opus ſero germine læta moror.*
*Et tu μῶρον ais quæ ſic ſapit? iſta parentis*
*Natus probra feret: non tulit, erubuit.*

## Cur Olea ferri metuens.

*Nolo graui mites diſtringas vulnere baccas:*
*Nolo nocens ferro germina glauca metas.*
*Pax altrix fera vt arma tremit, ſic neſcia ferri,*
*Pacis alumna feras horret oliua manus.*

Manu diſtringēdus baccus, non ferro carpendus.

## Cur Oliua pallet, Vua rubeſcit.

*Lis æquæua ſacris vites inimicat oliuis.*
*Pallet oliua, rubet vitis amœna mero.*
*Cur vua erubuit? ea nonne puerpera probro?*
*Quod Pallas metuit, pallet oliua ſcelus.*

## Cur botrus purpuraſcit,

*Vitis in externis laſciuit adultera ramis,*
*Et criſpa innectit mollia vincla manu.*
*Vix ſua dona ſuos aliena vt in arbore alumnos*
*Stirpe nothâ vidit gignier; erubuit.*

## Cur adeò blandus color.

*Ebrie dic ſodes, noſtin' fœcunda Falerno*
*Cur tibi purpureis rideat vua genis?*
*Te miſer inuitat. rides? malim improbe plores.*
*Vult tuus vt tingat noxia pocla cruor.*

## Cur vitis lacrymat ante vindemiam.

*Palmite deciſo lacrymat ſua gaudia vitis;*
*Vnde coquat muſtum, dat modò pauper aquas.*
*Quàm ſapit ô! lymphas iam prouida miſcet Iaccho;*
*Imò non natum temperat imbre merum.*

## Cur plorat Vinea.

*Vinea quid ploras verno lacrymabilis anno,*
*Cùm nouus aprico gramine ridet ager?*
*Damna futura notas, animo quàm cernis acutùm?*
*Cùm pluuios oculos lacryma cæcat aquis.*

## vnde in Pinu lacrymæ.

*Illa ego, quæ caſus olim viſura marinos,*
*Vrentem ad Boream ſaucia delacrymor.*
*Iam præſaga mali gremio deploro parentis.*
*Quàm procus in clades ſæuiet ille meas?*

Pythin, i. Pinum amat Boreas, cuius memoria in pinu excitat lacrymas.

## Cur Pinus ventos ſugit in mari.

*Pinus in enodem deſurgit honora columnam:*
*Nempe decus ſyluæ ſuſtinet illa ſuæ.*
*Inuidit Boreas. Pythin opprimit. illa ſepulcro*
*It cyano. hinc memori iam pede flabra fugit.*

## Cur Pinus plorat.

*Aërio de monte Pithys deſcendit in imbres*
*Sub Borea: horriſonis dum quatit alta flabris.*
*Nunc flet viſa pati, quas eſt paſſura procellas.*
*Dat terris lacrymas, quas bibet hauſta ſalo.*

## Quæſtio ad Quercum.

*Cur adeò diſcors quercus mitem odit oliuam?*
*Vt Iouis hæc Gnatæ; ſic decus illa Ioui.*

Pax.

*Pax æquo potiùs lemniſco iunge ſorores.*
*Nonne oleæ ad ramos ciuica ſerta virent?*

## Cur Aconitum Pardis infeſtum.

*Effuge Cerberea liuentia crimina ſpuma.*
*Vrſa, Leo, Tigris pabula dira metant.*
*Eueniet. Pardis pugnat ſeges atra veneno,*
*Venaturq́; feras. cur? cane nata facit.*

Natum aiunt è ſpuma Cerberi infeſtum Pardis. vnde παρδαλιάγχη id eſt, angens pardos.

## Cucumis oleum cur fugiat.

*Adſpice vt agmineo trahat orbe volubilis orbes,*
*Ac labirynthæo tramite flectat iter,*
*Et dic: nequicquam cucumis fugis æger oliuam.*
*Quod metuis, tandem mors dabit vncta pati.*

## Cur Roſa tam fluxa.

*Viue cicur, pictas non aſperat ira ſorores.*
*Pone togam, aut ſentas exue inerma minas.*
*Quis ſcit an ob ſpinas terra queis vris alumnos,*
*Vlta ſcelus, tribuat ver breue terra roſis.*

## Cur roſa purpuraſcit.

*Sole ſub ardenti vix puber purpura nodo*
*Emicat: oſtriferam diripit aura togam.*
*Error id an fati liuor? vix ſurgo, proteruo*
*Auolo præda noto. dic pudor. erubui.*

## Cur roſeto vnci ſentes.

*Cede roſæ. verno nuſquam flos pulchrior anno,*
*Pace hyacinthe tuâ, pace amaranthe tuâ.*
*Et roſa mox cedet veris ſeges aurea: ſpinis*
*Suppoſuit falces mors viden' vnca ſuas.*

## Cur in Viola funeſtæ literæ.

*Auricomus pater igne meos populatur honores,*
*Et ſecat imbellis lactea membra puer.*

Hinc

*Hinc frons læta parum; pullo ſi lugeo vultu:*
*Cur læta in trabea rideo iuſſa mori?*

Viola purpurea, in qua triſtes literæ.

### Cur Anemone rubet.

*Sol animam adſpirat, roſeoq́; figurat amœnas*
*Flore genas; cur non & mihi floris odor?*
*Pando ſinum; Zephyri nuſquam halitus. ite querelæ.*
*Pars bona floris abeſt. ô pudor! erubui.*

Flos penè par roſæ, ſed inodorus.

### Cur ceruo cornua caduca.

*Cornigero vt Phœbe deſingit ſidera torno:*
*Sic curuo in radio tollo bicorne caput.*
*Deinde retexo breui fugientia cornua ramo.*
*Hoc etiam Lunæ ceruus inermis habet.*

Ceruo vti Lunæ cadunt cornua, eaq́ue renouat.

### Cur Ericius præſagus tempeſtatis.

*Antè notas Aquilo quæ bella minatur & Auſter,*
*Et biſido excludis flabra petulcæ ſpecu.*
*Quis dux aſtrologus? Neptuni ſilius. Argus*
*Ille tibi & frater. te docet aſtra ſequi.*

Ericius marinus vti terreſtris; præſentit tempeſtatem.

### Cur Serpens medetur auribus.

*Terrigenûm clades mundi ambitioſa ruinis*
*Dira lues vitæ peſtis aborſa necem.*
*Exuuio medico ſerpens parit aure ſalutem.*
*Serò pius noxam quà dedit Eua piat.*

Exuuię ſerpentis auribus remedio.

### Cur Serpens ſaucius ſe recolligit.

*In ſua viuacem mors vulnera vt abſcidit anguem;*
*Fruſta hinc inde micant funere ſemianimi.*

Cur

*Cur tantum licuit ſerpenti, vt funere viuat?*
*Grata ſuo parcit mors pia neptis auo.*

Cur Formica ſuccino immoritur.

*Quæ fulua in gemma letum ſibi quærit & vrnam,*
*Vt vitâ ſapuit, ſic fera morte ſapit.*
*Et certè hoc meruit nudæ gens prouida brumæ.*
*Vt tumulo nequeat ditiore mori.*

Cur Culex Leonis appetit oculos.

Culex loquitur.

*Aſtrigero pernox vbi palpitat ignis oliuo:*
*Me iubet, ah! vitæ lampas alumna mori.*
*Vltum ibo. en oculum tædamq; extinguo leoni:*
*Quod rea lux peccat, iſta lucerna luet.*

Mel vnde amareſcit

*Picto epulata thoro violæve roſæ ve, comanti*
*Me bibit vda parens germine, & alma parit.*
*Nunc ego dulcedo, ſed mox ſceleratus amaror.*
*Ab matre id didici, mitis & aſpra ferit.*

# DE HOMINE.

Cur dolor in partu.

*Vt tulit ægra parens decimæ faſtidia lunæ,*
*Victa cadit, curuo quæ cadit ægra genu.*
*Se piat ærumnis placatq; puerpera numen.*
*Quæ natum vt pariat, parturit ante ſcelus.*

Cur in faſciis puer.

*Vt furtim erepſi gremio, me vincula ſtringunt.*
*Vt cecidi, innodant altera vincla pedes.*
*Vnde tot infelix traho ferrea penſa doloris?*
*Culpa reo eſt naſci de patre, pœna mori.*

Quid

## Quid Amor.

*Ignea nonne bibis vitali pabula flammâ,*
*Haud ſecus ac Paphio nata pyrauſta rogo?*
*Et ſalſis te paſcis aquis vt in æquore delphin.*
*Lis amor an diſcors? cur aqua & ignis alit?*

## Quæ Amoris pictura.

*Pinge mihi cœlum; quiſquis meditaris amorem,*
*Sideraq́ aurato mille repinge ſtilo.*
*Quot radiant ignes, tot eant his ignibus imbres.*
*Mille pluit oculis imbrifer Argus Amor.*

## Quæſtio de Amore.

*Diues inexhauſtis amor expedit arma ſagittis.*
*Tela oculis, labiis ignea tela iacit.*
*Oppugnat Superos, terras oppugnat & orcum,*
*Vnde tot è iaculis cornea ſylua viret?*

## Reſponſio.

*Spicula quæ mittit longâ ſibi vinxit habenâ,*
*Tela retorta cadunt teligera in pharetra.*
*Quin & fœcundæ noua fœnerat arma pharetræ.*
*Plurima ſi mittit, plura receptat amor.*

## Amor an cœcus.

*Quærit Amor ſpeculum caſtis animabile formis.*
*Purus amor puro cui ſtat imago vitro.*
*Quid ſibi cum ſpeculo, talpâ qui cœcior hoſpes?*
*Acriùs hoc cernit, quo mage cœcus amat.*

## Vnde Amoris lachrymæ.

*Arcano ſub torre flagrans amor imbibit ignes.*
*Vnde vaporato ferueat ore iecur.*
*Hinc lacrymæ, hinc ſalſo cor exſilit exſul in imbri.*
*Scilicet amburit fumus, & ardor edit.*

Quæ-

## Quæſtio de lacrymis.

*Cur oculi vitrea phiala ſua pignora mæror*
*Depoſuit fluxo non bene tuta ſinu?*
*Et res fluxa dolor, fragiliq; in puluere fluxæ*
*Promus aquæ. promum eſt vrna imitata ſuum.*

## Vnde tot oculo lacrymæ.

*Vnde perennè fluens exuberat humor ocellis,*
*Quæris, & aſſiduo cur terit imbre genas?*
*Cryſtallo liquente oculus mille educat ignes.*
*Hic vbi tot flammæ, iure & aquatur amor.*

## Aliud.

*Cryſtallum breue conflo, gelu duratus & æſtu*
*Altera pars æſtas, altera iugis hiems.*
*Quid mirum toties ceu nix ſi ſoluar in imbres.*
*Perpetua æſtiuat Sol meus in glacie.*

## Cur oculus amat lacrymas.

*Quid tibi cum nimbo, gaudî cui lætus Eous,*
*Et placet innubi ſidere amœna dies.*
*Deſipis infelix? vitreos ne forſitan orbes*
*Sol gaudi vrat, hiems obſtat aquoſa. ſapis.*

## Cur oculos Somnus claudit.

*Ætherens oculis gelidus ſopor admouet alas.*
*Et furtim humenti lumina nube premit.*
*Et claudit geminas vitro è gemmante feneſtras.*
*Nec temerè id. vitæ fur malus ille mea.*

## Cur Riſus è ſplene.

*Lucifero ſplenem cur felle venenat amaror?*
*Vnde mihi riſus vena benigna fluat?*
*Cuncta dolor violat. puro ſi gaudia riuo*
*Credis iturà; nigro fonte doloris eunt.*

Vnde

## Vnde Febrium recurſus.

Ad Medicum.

*Cur febris ardentem rediuiua recurrit in orbem?*
*Non liquet, incertis itq; reditq; viis.*
*Quid, febrim ignoras? & quæ febre notior ignis?*
*Lux ſi nota latet, ſcire quid ergo tuum eſt?*

## Cur Mors in ſomno.

*Ad pateras oculus natat ebrius. hoſpes Iacchi*
*Somne veni, & cornu ſparge papauereo.*
*Somniferâ pro fruge pluis medicata veneno*
*Pocula, miraris? lumine caſſus eras.*

## Cur terra ſepelit mortuos.

Terra ad Nemeſin.

*Inſontem quoties ſpoliat ſtirps impia alumnum:*
*Texo redux toties exſpolianda togam.*
*Plura querar? dubito an ſileam? diadema parentis*
*Et caput, ô mores! hei mihi, calce terit.*

## Nemeſis ad terram.

*Fœcundum gremium ferro cur plectit & imbri?*
*Num ſcelus ampla pio fundere dona ſinu?*
*Magna parens hoc vlta nefas, ceu carcere cæco*
*Carnifices gnatos vindice claude ſinu.*

## Cur cadauer hominis ſerpentem gignit.

*Acer equus veſpam, longâ pecus aure crabonem,*
*Taurus apes, anguem corpus inane parit.*
*Noxa parens morti, eſt noxa pater anguis, & anguem*
*Mors generat, neptis grata regignit auum.*

DE

# DE ARTIFICIIS.

## Cur vexatur à pueris nola.

*VIráq; puerq; meo trahit ilia pendula collo,*
*Meq; flagris cædit, quo mage cæſa querar.*
*Supplicium hoc merui. nolam tenet impius error.*
*Quò iubet ire pios, templa ſubire negat.*

## Cur icta fides in vna cythara, in altera parem excitat ſonum,

*Tange lyram, & ſoror icta pari lyra pectine. in vna*
*Tango duas, voces vox parit vna duas.*
*Si quiduis geminat oculus bene potus Iaccho:*
*Quid vetat ire duplum ſobria ab aure ſonum?*

## Vnde ſagittæ velocitas.

*Mors procul esto ſiet; ferro veho perpete mortem,*
*Pennatæq; fero vulnera cæca manu.*
*Ab vento didicit toties cui luſit arundo,*
*Stridere, & aëriis bella ciere plagis.*

## Cur turbo obliquo it curſu.

*Flagra fugis? tibi quære fugæ compendia recto*
*Limite, & æqua leui per ſola curre pede.*
*Nil ſapis. obliquo vaga cur trahit orbita circlo?*
*Vertigo infatuat mobile credo caput.*

## Cur Epiſtola fugit.

*Vt niueum currit vaga penna per æquor & arcta*
*Vincta manu furuo limite ducit iter.*
*Par matri pede curro pari fugitanſq; parentum*
*Auolo, & externis auia aberro plagis.*

DE

# DE MORIBVS.

## Vnde ſonus continuus in auribus impij.

*SOmnus iners blandis vdum caput illigat vlnis:*
*Et par incudi nox flagra ſurda ſonat.*
*Vnde ſonor? ſtygio dum cudit in igne ſecurim,*
*Mille tuo capiti dat metanœa fabros.*

## Cur ſuperbiæ ſedes in ſuperciliis circa oculos.

*Ardua in abrupta ſedet arce ſuperbia ad auras,*
*Inſtabiliq; tremit pendula tota pilo.*
*Nube ſupercilij ſolium non aptius vllum eſt.*
*Si cadit inde, probrum qui lauet, imber adeſt.*

## Quæſtio de ambitioſo.

*Dic quid ventoſo ſuſpiras pectore? flammam*
*Pande tuam. famam futile nomen hias.*
*O miſer! vrentes omni bibis aëre fumos.*
*Vin' tibi cor venti follis an olla ſiet?*

## Cur Honor ambientem fugit.

*Mancipium famæ tenui venale popello*
*Gloria vt vmbra fugit, neſcia fraude capi.*
*Et ſua magnanimo ambitio (quis neſcit) honori*
*Rex Regum eſt. ſeruo ſeruiet ille ſuo.*

## An Fama oculata.

*Fama tenax ficti ſculpit mendacia ſaxo.*
*Si qua fides veri eſt, naufraga ſcribit aquis.*
*Vſque adeo cæcutit hebes, cæcatq; popellum.*
*Et Maro dat famæ lumina mille ſuæ.*

Cur

## Cur auolat cenſus auium luxu.

*Aduolitat pictis huc Phaſidos aduena pennis,*
*Ioniọq; atagen diſcolor exſul agro.*
*Sic viduis loculis æs auolat exul. an auro*
*Dat profugo pennas? quas gula vellet aui?*

## Cur cornua potoria & feræ in prandio.

*Ceruus, aper, lepores veniunt ad prandia; eodem*
*It Gnatho ceruinæ natio nata gulæ.*
*Cornua rauca ſonant, ſed Bacchi cornua: prandes?*
*An venare? bipes hinc canis, inde fera eſt.*

## Cur barba effœminato vellitur.

*Ferrea quos toties crepitante ciconia roſtro*
*Ima ab ſtirpe metit, quid meruere pili?*
*Barba virûm decus, illa tuo vir-fœmina mento*
*Tam diu quod ſteterit transfuga, digna mori.*

## Quò pœnitentis lacrymæ tendunt.

*Ite piæ lacrymæ, vitreiſq; erumpite clauſtris;*
*Ite, ſed informi currere nolo luto.*
*Ite licet cœlo, non eſt grauis imber amoris.*
*Ignis vt aſtra ſubit: ſic ſatus igne liquor.*

## Cui apta veſtis pellucida.

*Serica perſpicuo tralucet ianthina velo:*
*Nec tegit os vitreus, qui tegit ora peplus.*
*Crede mihi, tam rara togæ textura feneſtris*
*Aptior eſt, caſtæ quàm ſiet apta togæ.*

## Cur gladiolus comis.

*Quid capiti & gladiolum tu Thaleſtris Amazon?*
*Aut muliebre caput num latus enſiferum?*
*An Venerem armatam ferro Mars comit adulter,*
*Vt iugulet cæcos Martia ſicca viros?*

Cur torquis nouo homini.

*Illi prius cippi cuſtos, & carceris heres,*
*Carnificum campus, ludibriumq́; flagri,*
*De mihi cur fuluā vinxti ardua colla catenā?*
*Quo nunc vincla geras pes tibi truncus abeſt?*

# DE DIIS.

Cur lingua Mercurio.

*Mercurio linguam. Maia num filius infans?*
*Quid ſibi cum linguis vox cui ſuada tua ?*
*Mercurio linguam præco tamen vre. litabis.*
*Rex furum ille, timet ne ſua furta canas.*

Cur Terminus Ioui noluit cedere.

*Cede Ioui ſolium, Capitoli immobile ſaxum;*
*Cede, Deo ceſſit cætera turba Deûm.*
*Abnuis? hæc quænam lapidi fiducia? neſcis?*
*Saturni eripuit faucibus ille Iouem.*

Cur ſtipem pro Matre Deorum poſcunt.

*Magna Deûm Mater toto mendicat olympo.*
*Et pro Matre Deûm poſcit Agyrta ſtipem.*
*Nempe fames coquit atra Deam, non miror inani*
*Ire penu, quæ tot nutriit vna Deos.*

# MVNDVS INVERSVS.

Folium palmæ.

P*Ro folio gladius, fructus vice dactylus exit.*
*Sic gladio digitum non bene palma gerit.*

*Verte*

*Verte vicem, & gladium digito gere prouida. muta*
*Dactylon in ſolium, quo bene tela regas.*

Quid Roſa.

*Aſpirat Zephyrus; viuo roſa purpurat oſtro,*
*Hic auro irradiat ignea gemma ſuo.*
*Anne putas aurum cingit latus omne pyropo?*
*Cingitur. inuerſum crede monile roſam.*

FLOS: Homo.

*Huc oculos appelle, animumq́; hoc ceſpite pictum*
*Stat ſpeculum. hoc vultum conſule liliolo.*
*Flos hic forma tui? ventus premit, obruit imber,*
*Corrige, tu vento viuis, & imbre viges.*

LACRYMÆ è vite: Luctus.

*Illacrymat vitis falcato cædua ferro,*
*Et modò promit aquas, queis premet vua merum.*
*Quod genus hoc luctus? quæ debuit antè cruorem*
*Fundere, dein lacrymas, ſaucia ſtillat aquas.*

TAPES: Vita aulica.

*Picta trahunt oculos frondenti aulæa vireto.*
*Teq́; fera capiunt textile mentis opus?*
*Hac tui imago. nouus ſed vertitur ordo theatro;*
*Quem fouet aula, canis fit fera perdit herum.*

CIRCVS: Vita.

*Currebam offendi primori in limine vitæ.*
*Vita cadit vmbrat nox inopina caput.*
*An ſtadium hoc? primo ſtat carcere meta quadrigis.*
*Frange rotas. ſenium prima vel hora facit,*

FVNVS: Mundus.

*Quid ſi munde putri te triſte cadauer in oſtro*
*Dixero, viuaci ducere morte choros,*
*Mentiar? haud quaquam. viuis, ſine funere viuis*
*Vitæ funus, ipſ. ſæcula mortis agis.*

LIVOR.

*Supplicium tibi noſtra ſalus, mea gaudia luctus,*
*Exilium regnum, gloria dira probrum.*
*Anne apud Antipodas vita tibi vertitur orbis?*
*Credo nouo & cælo gaudia in atra cades.*

GVLO.

*Vix imis loculis vnus ſuſpirat & alter*
*Gobius; & mullum luxurioſus emis?*
*Abſumet te fœnus edax cum paupere cenſu.*
*Te quem caſe voras ganeo, mullus edit.*

DONVM.

Mater Filio.

*Creſce puer dixi, creſce ô florentibus annis.*
*Hei mihi, Perſephone præſecat atra comas.*
*Te ſaxo includam. ſors quàm præpoſtera leti!*
*Quæ dare debueras, dona ſuprema capis.*

Serò ſapiens.

*Otia iners duxti ſua dum ſtetit hora labori;*
*Nunc labor it ſenio, cui magis apta quies.*
*Quod genus hoc vitæ? rurſum orſa ſenecta iuuentam.*
*Et gemis! id vitâ nonne priore frui eſt?*

BALNEVM.

E diuite pauper ganeo.

*Lautulus ille nepos, lepidi conuiua Lyæi,*
*Nunc in ponte ſedes. cui breue pera penu,*
*Teq; lauas fletu. cur atro in puluere quæris*
*Balnea poſt cœnam? non bene lurco lauat.*

PARA-

# PARADOXA.

## NATVRALIA.

### Omnia Cœleſtia fixa.

*Terra putas ſtat fixa? natat circumflua ponto,*
*Lege fluit ſimili quidquid alumna parit.*
*Currere quæ credas, ſtant aſtra pariq; perennant*
*Orbe. fugit tellus. punctus an ille globus?*

### Hiems veſtit ſiluas.

*Lanifico depectit hiems ſua vellera nimbo,*
*Et niueâ algentem veſtit humum tunicâ.*
*Sic quæ frondoſa ſpoliat nemus omne lacernâ:*
*Damna breui è lana iuſta reſarcit hiems.*

### Nuſquam præſens tempus.

*I numera fluidæ momenta fugacia vitæ,*
*Et retine; pandas effluet hora manus.*
*Dum loquor, effluxit hodie qui voluitur? annus*
*Non it tempus, ijt. iam niſi viuis heri.*

### Nauta non nauigat.

*Nunc furit abrupta veſanus turbo procella,*
*Nunc minor infido detumet ira mari.*
*Speſq; timorq; pari premit anxia vela periclo*
*Viuis nec viuis, longa ſepulcra natas.*

### Nauigatio noxia.

*Abnatat vndoſum temeraria puppis in orbem,*
*Et pinu audaci cærula regna ſecat.*
*Quo pretio? anquiris? quærenda peculia ponto,*
*Nauta ſibi vt damno diuite funus emat.*

## Nil noſtrum in vita.

*Cras anceps, hodie fugit, hoc quod vixeris olim*
*Crede tuum. tutum non niſi tempus heri eſt,*
*Vis id nulla rapit. vita an ſine munere munus?*
*Improba vult tantum quod fuit, eſſe tuum.*

## Vita nihil habet vitæ.

*Immemor elapſi præſens elabitur ætas.*
*Quod tibi labetur, ſpes malè ſera tenet.*
*Nec tenet. error habet, & habet fuga decolor auum.*
*Vita fugax vitæ pars quota quæſo tua?*

## Vita non vita.

*Infantem error habet. iuuenem labor, anxia mordet*
*Cura virum, torret mortis imago ſenem.*
*Luctus in occaſu, luctus comes ater in ortu.*
*Dic vbi dos vitæ, ſors cui ſola rapi?*

## Dies vita.

*Aurea vix roſeo vitæ lux emicat ortu,*
*Nox ſubit, & furuum mors adoperta caput.*
*Phoſphoron obſcuris mox heſperus occupat alis.*
*Cur vix orta dies tam citò iuſſa mori?*

## Puer omnis ſenex.

*Par breue momentum ſæclo. fuga longior anni,*
*Quos populat, carpunt ſingula puncta dies.*
*Diu vitam ante rudi ſic mors præflorat in æuo,*
*Vel primo excideris limine, ſerò cades.*

## Amor cor rapit, nec eripit.

*Morti adpugnat amor, mors vni occumbit amori.*
*Mors tamen omnis amor. cor ſine corde rapit.*
*At coquit hoc alieno in pectore, & igneus hoſpes*
*Ambedit: imò duplex cor ſine fraude legit.*

Amor

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

## Amor vulnerat & ſanat.

*Condus uti vita, ſic ægro in pectore leti*
*Promus amor, mollis cor face dulcè coquit.*
*Temperat accenditq́; ſibi ſuus imber & ignis.*
*Ipſe ſibi diſcors. num duo an vnus amor?*

## Amor ſæuior Morte.

*Mors mera victor amor, fibris expectorat imis,*
*Quiſquis ineſt animus, mors mera victor amor.*
*Si quà venit mors, ficta mea niſi mortis imago eſt.*
*Illa mihi corpus, cor rapit ille meum.*

## Senectus ſapiens, non delira.

*Me fatuam credis? cano nil doctius æuo,*
*Frons liber, apta libro littera ruga meo.*
*Mors anus inſculpſit. fatum hic lege & omina fati.*
*Rugoſum eſt leti bibliotheca caput.*

## Vita non mors vna.

*In iuuenem moritur puer, haurit auara iuuentus,*
*Vir iuuenem, inde virum vita ſenecta rapit.*
*Et ſeram metuis falcem, quem ſemper in herba*
*Mors metit, ac toties cui ſua vita rapi.*

## Mors ditat.

*Non tibi ceſpes erat, quo priuo in puluere ponas*
*Codre pedem; ſeptem dat tibi parca pedes.*
*Et mors dotis inops? cui nuſquam gleba, nec vlla*
*Arboris vmbra fuit, iam tibi agellus erit.*

## Omnibus non mors vna.

*Larua manu vt gelida cor attigit, ilicet auris,*
*Os, oculus, ceruix, pes, manus, icta cadunt.*
*Denique quiſquis ineſt torus, os, vel fibra. quot vno*
*Vulnera mors telo! quot parit vna neces?*

Caluæ in cœmiteriis eloquentiores Cicerone.

*Marce ad roſtra ſonas? maius mihi fulmen in herba.*
*Pace tua ſi fas dicere, calua tonat.*
*Me plus exſternat tam viuida mortis imago.*
*Marce ſile. ab muto plus Cicerone trahor.*

Peccatum exſors peccati.

*Nemo nocens latuit. cæca mens conſcia noxæ.*
*Mille citat teſtes, mille ſed vnus erant.*
*Mens index iudexq́; ſibi, ſibi triſte tribunal.*
*Se piat. & peccat? fit ſibi pœna ſcelus.*

Braſilienſis hominem edens, pius.

*Cœnat auos, tritauoſq́; nepos, viuente ſepulcro*
*Mortua membra tegit. quis neget eſſe pium?*
*Si terra alma vorat, gremioq́; reſorbet alumnos;*
*Quid prohibet matris viſcera alumnus edat?*

Vita non vitalis auaro.

*Pallidior tu larua tuo quod defodis auro,*
*Triſtia viuaci funere ſæcla trahis.*
*Hoccine vita? graui mors id mera nata metallo.*
*Arca tibi buſtum, cor ſpecus alta tegit.*

Auarus nil acquirit.

*Muſcida latrantem vix placant cruſtula ventrem,*
*Et ſemeſa miſer ringere ad oſſa canis.*
*Dum fruges ſine fruge legis. tua vt emolat hæres*
*Horrea. cuncta metens, nil metis, vſque ſeris.*

Suis parcens, ſua rapit.

*Ad loculos oculis centum vigil accubat Argus,*
*Aureaq́; exſomnis, ceu draco, poma tegit.*
*Anne putas ſeruat? non tangit, & vritur auro.*
*Ipſe ſibi Alcides fit draco, habendo rapit.*

Her-

Hercules poma Heſperidum abſtulit, commiſſa draconis cuſtodiæ.

## Aurum celerrimum.

*Quàm citò Luna fugit citimo bene deuia circo:*
*Tam citò præcipiti ſors pede & orbe redit.*
*Et quiſquam credat auro graue pondus, & ima*
*Sidere humo? æripedi currit, vt aſtra, gradu.*

Calendis vſuræ reddi ſolitæ.

## Pecunia non eſt ſterilis.

*Vſuras vſura auido dum trudit abortu,*
*Æs ſerit ære, nouo fœnore fœnus alit.*
*Et quiſquam ſteriles credat ſine germine nummos?*
*Nonne ingens modico fundus in ære ſedet?*

## Dona captans, æquus.

*Niltu ritè facis, ni ſurdum hinc inde tribunal*
*Mulceat auratâ Dorica Muſa lyrâ.*
*Par vtrimque manus non æquum ponderat aurum;*
*Iuſtus homo es. dubitas? libra ſit æqua manus.*

## Iudex donum capiens, iuſtus.

*Ancipites æquo ſtabant examine lances.*
*Applurt haud æquas aureus imber opes.*
*Iuſq; reo addicit. legi præponderat aurum.*
*Lanx iuſta hæc. tanto pondere iure cadit.*

## Iudex iniquus æquus.

*Cæca Themis cœco iam nubit adultera Pluto.*
*Ius ſine iure datur nummus adulter emit.*
*Dos libra hic, dubio quæ munera ponderat auro;*
*Et ſcelus hoc? an lex iuſtior vlla foro?*

## Iudicij corruptor, iuſtus.

*Abdixit tibi ius iuſtæ Diua arbitra libræ.*
*Iudicis in lances aurea grando pluit.*

O 5 Euge

*Euge, tibi Prætor iam litem addixit & agrum?*
*Quis ius iniuſtum dicere id auſit? emis.*

## Arma non arma.

*Textilis hamato ferri ſubtemine crates*
*Pectus obit, munit æreus vmbo latus.*
*Anne putas texto nunc mors excluſa metallo?*
*Armato includis pectore & ære necem.*

## Victus ludo vincitur.

*Aurea dona cauo deuerre & rade fritillo,*
*Sorte pari & vitam mors rapit vnca tuam.*
*Falleris & neſcis. non ſunt ſpolia iſta latronum,*
*Sed tua tu nummi predo. ſed illa tui.*

## Scacchia, ludus non ludus.

*Ingenioſa ſinam te ludere bella latronum,*
*Si modò nil noxæ ludicra pugna ferat.*
*Sed nimium ludit. & vitam & commoda vitæ*
*Eripit. an ludus ſeria damna pati?*

## Nummus incluſus, prædo.

*Anxia pallenti prætende repagula Pluto,*
*Ferreaq; obſeptis præſtrue clauſtra ſeris.*
*Et ferro vinctus fugiet dos perfida nummus.*
*Præda hæc prædo ſui. ſe tibi nonne negat?*

## Circenſis agon curſus non curſus.

*Æripedi deludis equo, & fugis vſque, quod ardes*
*Vſque ſequi, intacto marmore feruet agon.*
*Quod genus hoc voti? vitas quod feruidus ambis.*
*Tangere ſic metam, Currere inane fuit.*

# PALINODIÆ.

## Malacia, Pax.

LVde, fauent Zephyri; rapit æſtus in æquora puppim.
Mollior incriſpo murmurat vnda ſalo.
Muta quies ponto, ſi non celer obſtrepat vndis
Remus, eunt prono vota ſecunda mari.

## Palinodia.

In ſpeculis mors alta ſedet, ſedet Æolus altis
Rupibus, vndiſonaq; attonat aſtra tuba,
Rupta quies ponto. ſonor omnia & omnia fluctus.
Quod via prima fretis, vltima meta rati eſt.

## Vmbra Vitis.

Lenè liquens examen aquæ trahit amnis in æquor
Defluus, & prono gurgite ſcindit agros.
Quæq; ſecat, rapit arua. viret mentita racemos
Vinea nata vadis, & ſata fonte Ceres.

## Palinodia.

Non ſeges hic vſquam, & colli quæ plurima frondet
Sylua parens Bacchi, ſobrius error aquæ eſt.
Ebriat ille oculos hyalo fallace, ſed vuis
Crede mihi & ſpicis ſobria pocla bibes.

## Ad Homines.

Mima vides ſimulacra vado viridantia? mundus
Id tibi; quod viridi concolor vnda ſalo.

## Roſa ad ſpinam.

Innocuum agnato poteram ſine dente vel armis
Stare decus, curuâ nunc peto falce precos.

Non te

*Nonne vides; laceris cruor hinc, cruor inde labellis*
*Emicat. hoc crimen ſpina nouerca tuum.*

## Spina ad Roſam.

*Si tibi falcato latus horret acinace & hamo*
*Vulnifico, id teneræ curæ ſatelles heræ eſt,*
*Officiumq; nouo te ſi cruor imbuit oſtro,*
*Iam dibapha trabea pulchrior ornat honos.*

## Sepulturæ nulla habenda cura.

*Poſtuma cura vale, nil ſaxa moramur & vrnas.*
*Vanus honos, vanus condere buſta labor.*
*Me ſi vita tenet, nollem lapis opprimat artus:*
*Sin, mors inueſti quæſo quis oſſa pudor?*

## Palinodia.

*Verte ſtilum. viuis? ſi tu ſapis, obtege corpus:*
*Sin mors ſurda premit, marmoris ecquod onus?*

## Cor diuiſum.

*Tam breue quid tepido nido ſe pectoris abdit,*
*Vt tereti roſtro paſſer aduncus edat.*
*At cor ſcindo? ſecem tam nullo in corpore partes?*
*Cor atomos ſecto corpore nonne facit?*

## Palinodia.

*Vna Deo & cælo, cedet pars altera mundo.*
*Hei mihi, quis ſecto viuere corde queat?*
*Quid mihi cum fruſto, ſolidum cor dedo Tonanti,*
*Antè nihil, iam cor mundus amoris erit.*

## Studia vitæ noxia.

*Non mors cuncta metit. Sophiæ florente theatro*
*Facundum æternat poſtera fama decus.*
*Lumine ſi caſſis lucem dat Pallas & æuum;*
*Cur vitam vt leti pallida larua rapit?*

Pali-

Palinodia.

*Anxia cura libris docta impalleſcit in vmbra,*
*Et vigil ad pluteum ſera lucerna ſtrepit?*
*Mitte metum: ars Sophiæ ſi fors horam eximit æuo:*
*Fenerat, è puncto ſecula honoris eunt.*

Pompeius in littore exuſtus.

*Hic Magnus. quid plura? rogus iam Magnus arenis.*
*Heu ſati inuidiam! nomina tanta mori?*
*Idq; mari & terris? Magno quod maius? & arctus*
*Iam cinis it terris exſul & exſul aquis?*

Palinodia. Gloria.

*Haud penitus decus omne fugit. ſic nonne parentant*
*(Magnus honos) Magno cuncta elementa ſuo?*

---

# DILEMMATA.

Solis ortus.

*NVnc ſepelit nox atra diem, nunc clarat amœna*
*Sol face. & alterno funere merſus obit.*
*Si mors hic; toties cur pullulat alter Eoo?*
*Sin vita, occiduo cur abit orbe mori?*

Lucifer.

*Poſphore qui fuluæ dux aureus ille choreæ,*
*Phoſpore Phœbæis præuia tæda rotis.*
*Si ſpecto quà manè prœis, Sol paruus Eoo:*
*Sin vbi ſerò redis, altera Luna micas.*

Homo.

*Hinc cœlum, hinc puluis coit arcta in fœdera. cæco*
*Aſtra marita latent puluere. nodus homo.*
*Par homo ſi cœlo: cur luctu occumbit & orco?*
*Sin terræ; vſque ſequens cur vetat hora mori?*

Vita.

## Vita.

*Degis inops? liuor iecur vrit, & vrit egeſtas?*
*Diues agis? ſæuas mens tremit ægra manus.*
*Vita tenet? cruciant morbi, populatve ſenectus.*
*Si pede parca premit, marmor & vrna terit.*

## Quid amor.

*Humor an ignis amor? vitreos ſi conſulis orbes,*
*Humor amor, pectus conſulis? ignis amor.*
*Vt cor mergit aquis, ſic vrit pectora flammis.*
*Icarum inde biceps, hinc Phaëtonta facit.*

## Coniux.

*Vinctus hymen myrto gemina cornice iugales*
*Te vocat ad tædas? ah fuge triſte nefas.*
*Si non bella; iecur iugi probro vlcerat vxor.*
*Sin formoſa, coquit ſuſpicioſus amor.*

## Mundus.

*Si qualis fueris, te pinxero, terror & beſtis.*
*Si qualis non ſis, pingeris, error eris.*
*Munde bifrons terres, aut certè fallis alumnos.*
*Inde leo, hinc vulpes, alterutrimq; necas.*

## Honor.

*Sceptra manu vix tangis, honos vaneſcit in oſtro,*
*Quæ dedit hora rapit. ſomnus an vmbra decus?*
*Si ſomnus, vigil iſtud, ebur cur tangis, & aurum?*
*Sin vmbra, vt ſidus, cur tibi ſplendor honos?*

## Solus ſibi ſapiens.

*Non tu par reliquis: at monſtrum diſcolor exis.*
*Aut Deus, aut certè tu ſine mente pecus.*
*Elige quid mauis? tu ſi pecus, exue faſces,*
*Sin Deus, i terris exul, vt aſtra regas.*

Ad

### Ad Inuidum.

*Qua limis oculis vel thynno luſcior, iras*
*Concipis & vaſto murmure probra vomis.*
*Deſpuo purus eo? nil tangunt ſomnia famam.*
*Sin. hoc fonte lauo. crimine purus era.*

### Ad Iratum.

*Te digito vix tango, fremis plus tigride, & vrſâ,*
*Quam raptis catulis ardor in arma rapit.*
*Mitte minas. ſi pecco, pari cur crimine flagras?*
*Sin dignum id veniæ, parce; ſuaſit amor.*

### Alcæus dictitat ſemper bibendum.

*Durat hiems glaciem? vis ſolui ardente Lyæo.*
*Æthra pluit? Baccho diluis vdus aquas.*
*Vrit agros æſtas? vis temperat algida Iacchus.*
*Vernat ager? te flos Liberi, & vmbra iuuat.*

### Ad Alcæum.

*Qui bibulo fungo vixti ſitientior hoſpes;*
*Sic tua & vrna bibat. ſicca fauilla ſitit.*

### Francia.

*Quod iam ſum puduit me pingere ſ ualleo ſyluis;*
*Quod non ſum, pudor eſt fingere, gemma fui.*
*Pax redit, & pacis comes vbere copia cornu.*
*Quod fingi puduit, nunc mihi pingo decus.*

---

## CONSILIA.

### Ceruo.

*Ardua vt inſpexi ſurgentem in cornua ceruum,*
*Dicebam imbellis belua, pone minas.*

*Queis tibi nil opus eſt, da cornea pila Leoni.*
*Tu cape cerue iubas. ſic leo ceruus erit.*

## Spina & Roſa.

*R. Spina pari quæ ſtirpe vires. quid poſtuma ſeruas*
*Tela roſis? S. Donis falx vigil ibo tuis.*
*R. Nil hic quod ſerues, primæuâ en defluo in vmbrâ.*
*S. Fluxeris. orſa nouis ſeruo paranda roſis.*

## Auaro.

*Quæ tollas, premis aſtra ſolo. attollisq́; metallum*
*Quod iubet æthra premo munere munus abeſt.*
*Quid tibi vis demens qui terram inuertis & æthrã?*
*Deſcende ad cælum Craſſe beate tuum.*

## Auaro.

*Res redit ad reſtim, vix bulga tinnit inani*
*Æreolus, laqueos vnde miſellus emas.*
*Parcere vis ſumptu? cui vix ceruicula muſcæ.*
*Necte tibi nodum ſtamine araneoli.*

## Cauſidico inepto.

*Grande ſonat torrens vndanti lingua palato,*
*Flumine in hoc mentis guttula nulla natat.*
*Quid dicam? eloquij vice vende ſilentia, & auri*
*In mica mentis iam tibi flumen erit.*

## Guloſo.

*Nil altum, nil grande ſapis, cui ſola palati*
*In patina, & cyatho naufraga cura natat;*
*Vt ſapias Laribus fac porco. an deſit inani*
*Porca manu? ſacro victima es apta tuo.*

## Aliud.

*Serta, faces, epulas nulla non quæris in horâ.*
*Triſtia mortis amas omina, id vltro mori eſt.*

*Tantum os viuit, hiatq́ in pocula. putre ſepulcrum*
*Claude. Mephitin olet. id quoque mortis habes.*

## Aliud.

*Pauca ſitit natura, ſatis vel ſtilla Lyæi.*
*Sed populat ſummas helluo luxus opes.*
*Nec ſatis eſt, vel ſi vorat omnia. prodigus orbem*
*Ganeo ſi perdit. viuat in Vtopia.*

## Iuueni.

*Abnue vina puer dum muſtea defluit ætas,*
*Nolo rubens flammis flamma ſit vua tuis.*
*Bis puer vt fueris, ſenij lac dulce meracum*
*Si bene iam ſerues, amphora promet anus.*

## Amanti.

*Iam Cypris arſuros meditatur in oſſibus ignes.*
*Flamma volat chartis ducere docta facem.*
*Vince rogo. mihi crede rogum vitabis & Oricum.*
*Tam pia cæleſtes flamma meretur aquas.*

## Mago.

*Quid leuius magicis, queis ſtyx te faſcinat vmbris?*
*Quid grauius ſtygio quam dare buſta foco?*
*Dira tamen vanis conflas incendia nugis,*
*Si ſapis, vre rogo nobiliore rogum.*

## Auguri.

*Conſule, quid tremulis portendant viſcera fibris.*
*Te iecur erudiet, ſera quid hora vehat.*
*Purpureum id fati ſpeculum! vt plus omina noris.*
*Tu qui myſta Deum, ſi ſapis, eſto pecus.*

## Auguri.

*Mens cui cæca domi, ſuſpectus vt appulit oſcen.*
*Vrbs ſapit in luctus ingenioſa ſuos.*

*Et gemit, apploremt riſi plus Augure. diuum*
*Conſcia ſi præpes, ſit precor augur auis.*

Romano Deum facienti.

*O mentes ſine mente! Deus nunc Cæſar Olympo.*
*Nunc animâ caſſus puluis, imago Iouis.*
*Si Diuûm auguſto mors mactat honore fauillas,*
*Vre Irum Codrumue, & Deus Irus erit.*

Aſtrologo Podagrico.

*Sidera quid ſpectas pluuiis malè fœta procellis*
*Aut Hyades cælo quas meditentur aquas.*
*Curuus humi potius ſpecta ſicca aſtra, vel imbrem*
*Cui ſagâ in podagrâ pes miſer Aſtrologus:*

Puero.

*Tu ne quære gelu varia transforme figura,*
*Cui vernant tenerâ lilia panda manu.*
*Nil picto tibi cum vitro, mimaq́; figura.*
*Flos ſpeculum vitæ nonne perenne tuæ?*

Improuido colono.

*Si fundo lucteris inops maiore, colonum*
*Allidet, ſterili ceſpite nudus ager.*
*Eſuriemq́; ſeres funeſto fœnore. acerbi*
*Imber erunt fletus, meſſis alenda fames.*

Famelicoſo auaro.

*Cœnula ſicca placet, Coi lex illa magiſtri*
*Et nimis hoc. paſcit te mage pura fames.*
*Sanius vt viuas, ſcin' quid tibi conſulo? leti*
*Viue diu in ſicco puluere, & vſtus obi.*

IMAGO.

Ad Medæam.

*Sicca tremit, leti cui paruulus attremit hæres.*
*Lacryma ſtans oculis viuit & ira manu.*

Pau-

*Parcere vis? ſæui fati quid ſecla propagas?*
*Crudeli ah nimium parcit amore furor.*

### Coriolano Roma.

*Pars ego magna tui. longæuæ parce Parenti,*
*Ne tuus è noſtro vulnere ſanguis eat.*
*Parce per hæc precor vbera, & hos obteſtor amores.*
*Aut tu gnate mei cæde bis vltrò cades.*

---

## OMINA.

### Roſæ.

*I Roſa ſidus humi. longum duc ſideris æuum.*
*Terra fauet votis, & fauet æthra tuis.*
*Cæcus ego lentos quid floribus ominor annos?*
*Sæclum grande roſis vna vel hora facit.*

### Nupturæ.

*Ite pares. ſocio crepitat concordia nido:*
*Iunge faces, albas pronuba iunge manus.*
*Iuſſit Hymen. blandos quem tæda iugalis ad ignes.*
*Vrit & eſt molli vulnere inuſtus amor.*

### Filio Pater.

*Exegi numeros. ſtat cura ſuperſtes ad vrnam.*
*Me ſi vita fugit. iam bibe vota nepos.*
*Sint Superi faciles. victura in penſa ſenectæ*
*Quod mihi Parca rapit, ſerò det eſſe tuum.*

### Puero.

*Omina naſcenti venabar dextra puello.*
*Heu fato illacrymat omina læua ſuo,*
*En animus rudis ille, ſui nunc funeris augur.*
*Flens modo agis, quæ dein ſeculæ flendus ages.*

# VATICINIA.

## Regi ambitioſo.

*Anxius intentos capiti circumſpicit enſes,*
*Quiſquis inacceſſi vadit ad alta tori.*
*Exiguæ, heu, telluris inops cadet vmbra ſepulcri.*
*Qui regnat domito latior orbe Deus.*

## Nouo homini.

*A remo ad ſceptrum te ſors tulit aurea in oſtro;*
*Qui nunc Crœſus agis, ſi volet Irus eris.*
*At cui Saturnus nunc ſecula inaurat, iniquo*
*Sub Ioue mox Codri ferrea ſæcla trahes.*

## Prædoni.

*Mille legis, relegiſq; vias, nec meta labori.*
*An paſſim coruos vin' vaga vt vmbra ſequi?*
*Effugis. impranſus noſtin' quid crocitat oſcen?*
*Tu mihi cras debes prandia, coruus hiat.*

## Guloſo.

*Nunc hyalo viridi, Tyrio nunc tingitur oſtro*
*Mullus, & it cyanis concolor Iris aquis.*
*Ite gulæ Proceres, par & vos purpura leti,*
*Fors manet; vt roſeo fluxerit imbre cruor.*

## Potori.

*Vertitur œnophoro fundus, cerebrumq; Lyæo*
*Ora natant, oculiq;, ebria vt alga mari.*
*Ah miſer! & neſcis. rota vertitur ignea ad orcum.*
*Hic Ixionio curret in orbe ſitis.*

## EBRIOSO.

*Te ſors dira manet, ni me tua fallit imago:*
*Porro cades furuo victima opima Ioui.*
*Vis & libamen? rubro tumet ebria naſo*
*Vua. ſacrum hinc liba nunc tua in exta merum.*

## Degeneri.

*Auguſta eximium genus arbore ducis, & auum.*
*Rex tritauus, proauus dux tibi, conſul auus.*
*Si tua gens tali ſemper deſcendat ab ortu,*
*Olim arbor, tandem ſtirps tua fungus erit.*

---

# VOTA.

## Roſæ.

*VIue, precor, diu veris honos, & ruris ocellus.*
*Diu tibi natiua tinge latus trabea.*
*Fata vetant, ſors læta parum. mors inuida falcem*
*Naſcenti appoſuit; vix ſata, es apta meti.*

## Cerui votum.

*Vrget equus, canis vrget, herus latus vrget, inermi*
*Pugno fuga, inſequitur, me rapit. ibo mori.*
*Quid voueam huic hoſti? Dictynnæ vt balnea oberet.*
*Prædo bipes ceruus, qui modo victor eques.*

## Romæ veteri.

*Auguror æterni tibi Roma perennia honoris,*
*Auguror, at vanis ludit imago dolis.*
*Ocyus infido fluxere perennia riuo.*
*Nunc cinis vrbs, leti triſte perennat opus.*

ANTI-

Antiquario.

*Nunc Acci vmbra canit opiciq́ Oſciq́ Quirites,*
** Daptica Pacuuij calpare vina dauunt.*
*Quid veneam huic caſco Varroni? in priſca Quirini*
*Sæcla, nouo cælo magnus vt annus eat.*

*Dant vina è cyatho Pacuuij.

---

# DIRÆ

## In Saluiam.

*Hippocratis viridi in regno mentita ſalutem*
*Saluia verte ſolum. ſemina mortis alis.*
*Buffo ſerit. duplex paris vno crimine crimen.*
*Quam mors vera tibi eſt, tam tibi ficta ſalus.*

Buffones ſæpe ſugunt.

## In Inuidum.

*Quidquid hiante oculo delibas dulce; malignum*
*Decoquis in virus. ſal tibi triſte ſales?*
*Mulſa ioco, riſum dirâ qui peſte venenas;*
*Quid tibi vis optem? tu tua pocla bibas.*

## In Maledicum.

*Euthea anhelanti baccharis ad orgia hiatu.*
*Cerbereoq́ vomis tincta venena garo.*
*Et niueam violas inceſto felle p pyrum?*
*Opto ſuis oculis ſpongia vt iſta legat.*

## Nemeſis ad Detractionem.

*Vna duos, vno nequiſſima vipera telo?*
*Vena duos? ternos, pro ſcelus, vna viros?*
*Men' pati? vltrices acuam in tua damna ſecures.*
*Occidet vna meis lingua ter icta probris.*

## In Fœneratorem.

*Fœnus ale, atque auidis accude talenta talentis.*
*Et tibi qui pœnas fœneret, vltor erit.*
*Heu quam ſupplicium culpæ præponderat impar?*
*Noxa breuis, noxæ pœna perennis erit.*

## In Triparcum.

*Arca tumet, tumet vber ager, tamen vrit egeſtas*
*Arcta penu, & puro ſobrius amne bibis.*
*Quæ tibi vota canam? diu parto viuere in auro?*
*Cæce diu vt perdas viuere, viue diu.*

## In Auarum.

*Liuida cui viridi dat cœnam beta catino,*
*Et cui gutta meri nulla, nec vlla faui;*
*Quid tibi vis optem? ſi pocla & fercula quæris?*
*Cor rode, & lacrymas adbibe Auare tuas.*

## In Iudicem iniquum.

*In caput innocuum leges armauit & enſes*
*Prætor, & ad ferrum ius ſine iure dedit.*
*Plecte reum. ceſſas virgo Rhamnuſia? ſummum*
*Vnde queat coruis ius dare pone crucem.*

## In Ganeonem.

*Fax me ſicca coquit, plena it tibi Bacchus ab orca,*
*Nec cadit inde meo gutta vel vna ſcypho.*
*Sis memor. ira tenax noxæ tibi concutit vrnam,*
*Omne merum in lacrymas vertet acerba tuas.*

## Poculum venenatum.

*Algida cur ſcelerant ardentem aconita Lyæum?*
*Ille ſcyphus cogat ſaxa vel ipſa mari.*
*Ah pereat quiſquis vino hinc necat, inde veneno.*
*Mortem vt morte bibam. vita bis apta mori?*

## In guloſum.

*Retia tende ſolo, gula retia tende per auras,*
*Inſidioſa cauo retia tende mari.*
*Et tria regna tribus populare elementa rapinis.*
*Quarto præda cades, te coquus ignis edet.*

## In Nimium potorem.

*Nunc glacies æſtiuat hiems præpoſtera Baccho,*
*Et calet æſtiuo fracta pruina mero.*
*Si iuuat antiquas naturæ vertere leges.*
*Tantali & in ſatiem ganeo verte ſitim.*

## In Ebrioſum.

*In glacie calet vnda meri ſpumatq; falerno*
*Gemma capax & te torrida vota coquunt,*
*Ebibe. ſed memor eſto. malo cum fœnore leti,*
*Dulce quod ora bibunt, vulnera acerba vomenт.*

## In Epicuræum.

*Audio vota: duas tantum res anxius ambis.*
*Vis vitam, & vitæ pabula opima tuæ.*
*Ah miſer! & demens vitam qui pallidus optat.*
*Quid niſi quam votum mortui, & omen habet.*

## In Sacrificantem.

*Phidiaca colis artis ebur, cælumq; Myronis,*
*Et ſi quid cælo, vanius error habet,*
*Quid voueam? adiuro popa viue pariſſimus iſtis*
*Queis litat ara diis, ſi nihil eſſe velis.*

## In Magum.

*Venales animas ſemiſſe addicis Auerno*
*Treſſis homo. & diro crimine crimen emis.*
*O ſi fata ſinant furui mango ille tyranni?*
*Cum tot emas animas, vnam vt agas animam.*

Emit remiges quorum animas dæmoni deuouet.

Ob-

Ad Parentes.

*Laſciuæ moneo pennas incide iuuentæ:*
*Ni facis, in clades ſæuiet illa tuas.*
*Neſcia præda capi, tenues ſe librat in auras.*
*Dum fugit: ab ſtimulum noxia linquit apis.*

Obiurgatio ad Matrem.

*Quidquid non licuit, libuit dare id omne iuuentæ,*
*Soluere velle iugum, ſoluere velle metum.*
*Cæcat amor. perdis queis improba parcis alumnis,*
*Non amat ah, quiſquis pignora blandus amat.*

---

# QVERELÆ.

## Eclipſis. Ad Lunam.

*Occidit inuiſa lucis fons aureus vmbra.*
*Inuida nigranti Cynthia nube tegis.*
*Pro ſcelus! auricomum ſic impia Luna parentem?*
*Qui tibi dat vitam; cur ſcelerata rapis?*

Lucifer.

*Me premit, ac victrix (an habet prô ſidera liuor?)*
*Fratreſq; auricomos me ſine Luna regit.*
*Dux ego qui Solis, Soli qui poſtumus hæres:*
*Cur non aſtra rego, vel rego Solis equos?*

Nix.

*Vix niueo inueſtes ſuccinxit vellere ſyluas;*
*Quas dedit induuias, nuda repeſcit hiems.*
*Dilaceratq; nouo liquentes Sole lacernas.*
*Hoc merui incanus dos cui caſta nitor.*

## Iris.

*Flauicomum meditans pingenſq́ in nube parentem,*
*Diues-inops pluuias Iris inaurat aquas.*
*Et cui nil auri, Solis iubar exprimit auro.*
*Quo tot diuitiæ dos vbi tota nil?*

## Mare.

*Æolus inſanis verſat freta fœta procellis;*
*Qua ſonat vnda freto fracta fluentiſono.*
*Viſa queri Tethis, quæ tot poſt prælia, ſalſis*
*Pro lacrymis, fluctus miſit ad aſtra ſuos.*

## Mare ad terram.

*Qui meæ ſceptra regit rabido furit Æolus œſtro,*
*Meq́ facit ludos turba petulca ſuos,*
*Heu trahor Æoliis obnoxia præda tyrannis.*
*Si noceo, tantum poſſe nocere meum eſt.*

## Nauigatio.

*Veliuolas pelagi per cærula currere ſyluas,*
*Quaq́ fuga eſt, cyanum radere mortis iter.*
*Vt vidi: ingemui. ſic ſic homo an ergo ſepulcro?*
*Non ſatis in tumulum pulueris orbis habet?*

## Nauigans.

*Æquor aro, ſalſi ſpumant ſub vomere campi.*
*Spem ſero. pennipedes aura ſecundat equos.*
*Vertitur. infido Nereus vorat omnia fluctu.*
*Spes vitæ, ah vitam (quis furor iſte) rapit.*

## Naufragus.

*Ah caput infeſto quoties oppignorat Auſtro;*
*Nauigerum incertâ qui trabe ſulcat iter!*
*Scilicet ardet opes. miſer ah! auro æquor auarum*
*Ditat. an vt pereat cariùs ambit opes?*

## Idem.

*Nunc me fluctus habet, verſantq́; in litore venti*
*Pondus iners: ſalſo quem vehit vnda ſinu.*
*Vah ſcelus! infido tot quæ parit æquore mortes,*
*Nulla ſtruit regno Parca ſepulcra ſuo?*

## Margaritarum Piſcator.

*Mille canes inter Neptuni germina gemmas*
*Rimor hians, ventos inter & inter aquas.*
*Gemmifero heu leto me venor, & induo caſſes*
*Nunc data præda cani. num fera factus homo?*
Caniculæ marinę piſcantes inuadunt.

## Vniones piſcans.

*Mille natant circum gemmante pericula ponto,*
*Quà bibit è cœlo nobile concha gelu.*
*O quoties rabido nantes canis hauſit hiatu!*
*Hoc pretium roris? dos magis vilis homo?*

## Concha.

*Vt peperi puras damnoſa peculia gemmas;*
*In me turba ruunt inſidioſa proci.*
*Parua queror. laniant & viſcera ſata lapillis.*
*E cœlo bacchas gignere, an ergo ſcelus?*

## Terra ſiticuloſa.

*Ardet humus, pluuios ſuſpirat anhela liquores.*
*Crudeles ſuperi: nemo ſecundat opem?*
*Hic quot hiant rimæ, tot hiant & vulnera, noxam*
*Quam Sol igne facit, expiet imber aquis.*

## Terra.

*Vror io. erro nocens? plus cœlo innoxia tellus.*
*Terrigenis Superi parcite, mater ait.*
*Mille hic tura calent, & ouilia mille. bicorni*
*Cum boue vix aries, frigidaq́; ara polo eſt.*

## Sulphur.

*Februa ſi poſcis, dabo pura piamina. ſquillas*
*Inter, & oua, ſacro munere purgo ſcelus.*
*Sulphur ego, puris ſi ſoluo piacula flammis:*
*Cur ſtygio addicor noxia flamma rogo?*

## Magnes.

*Ima ſoli indignans, merſoſq; in puluere fratres,*
*Ille procus ferro, qua licet, aſtra ſequor.*
*Huc amor, huc curſus, quid adhuc traho ferrea terris*
*Sæcula, quem cœlo Parrhaſis vrſa tenet?*

## Ad Adamantem.

*Cur Adamas diſcors tibi cos Magneſia, & amens*
*Herculeo ſaxo ferrea furta rapis.*
*Tun' nigro inuideas tam candidus ille rapinam*
*Tam fœdam? an gemma pulchrior ergo lapis?*

## Sapphirus.

*Huc celeres aduerte pedes, & lumina reddam*
*Mille oculos, oculis ſidera mille tuis.*
*Hinc inde aureolis ſtello alter vt Argus, ocellis*
*Et me nox tacat? cur iubet aſtra mori?*

## Margarita.

*Innumeris onero pretioſa pericula curis.*
*Et traho furaces, ſplendida præda, manus.*
*Sic perdo peritura, piam ſtirps noxia matrem,*
*Vis fuit iſta, meum eſt non niſi poſſe rapi.*

## Pinus.

*Quo fugis? an curris rabidis freta verſa procellis?*
*Aërij pinus filia pulchra iugi?*
*Ah nemora & montes, & ſi quid montibus exit*
*Altius; ima cauis hauriet vnda fretis!*

## Pinus rapit.

*Rapta cadit Pinus, rapit & ruit Æolus alto*
*Prædo iugo, en triſti ſylua ſepulta ſolo.*
*Texitur in puppim. quænam hæc vecordia? terris*
*Rapta ſemel vento, rurſus an apta rapi?*

## Pomum.

*Anguineo implicuit pomum mors ſibila nodo.*
*Verminat. æquæua peſte venenat auos.*
*Hinc & fulmineis incanduit æthra procellis.*
*Mors roſeo è fructu ſpinea ſæcla ſerit.*

## Pyrum.

*Lude per Alcinoi pometa rubentia, & iſtinc*
*Carpe pyrum. hîc cordis viuit imago tui.*
*Sed niſi carpe: riget duris cor triſte lapillis.*
*Heu! vita in pomo ſemina mortis edes.*

## Roſa de ſpina.

*Quàm nihil ab tutum! molli & ſine dente roſeto*
*Adſerit hamatas terra nouerca minas.*
*Fida roſis agnata ſoror, quæ debuit hoſtem*
*Pungere; vah! pungit impia ſpina roſam.*

## Roſa.

*Addubito, tribuatne meum, rapiatve ruborem*
*Aureus ardenti qui rubet ore parens.*
*Plus rapit. en rapuit, vix appulit oſcula. fluxi.*
*Hei mihi! Sol aureâ ver breue falce metit.*

## Aliud

*Pars viridi e nodo, picto pars germine strictim*
*Emicat, effuſis pars rubet alba genis.*
*Tempora veris eunt. vix cœpi fulgere in oſtro;*
*Ceu nix cana fluo. ver mihi nunquid hiems?*

## De Roſa.

*Rore ſatur verno tepidas erumpit in auras*
*Antè calyx, niueis nunc roſa panda comis.*
*Gratuler an plorem? quæ iam vix puber eoo,*
*Veſpere, quis credat? cana ſeneſcit anus.*

## Viola ad ventum.

*Ver ſibi mite rudi violam vix texuit aue,*
*Occidit. imbelles Æolus hauſit opes.*
*Flos breuis id meruit? tu qui rerum ardua vaſtas,*
*Debueras humili parcere turbo comæ.*

## Viola ſole vſta.

*Funeſtam violæ ſe purpura vertit in vmbram,*
*Aureus vt blando contigit ore procus.*
*Aurea ſi violam violant blandi oſcula Phœbi:*
*Quid faciet ſæuo liuida bruma noto?*

## Narciſſus.

*Me quis non inhians oculo prælibat auaro?*
*Et quis non auido ferreus vngue legit?*
*Scilicet iſtud amor? quid aget ferus hoſtis in ira,*
*Me ſi leno meî tam male perdit amor?*

## Fraga.

*Fraga verecundo dona inuidioſa Pyropo,*
*Serpere vt aſpexi, concolor erubui.*
*Prô pudor! arboreis florum quæ digna coronis,*
*Squallet humi informi gemma ſepulta luto.*

## Linum.

*Aſpra gelu ne te vrat hiems & Sirius ardens,*
*Vmbro verecundâ pectus inerme togâ.*
*Et linum innocuum cruciant rota, flagra, cataſta*
*Tot cui dona tument? num ſcelus ergo ſalus?*

Ad

## Ad Ceruum.

*Pars vallos depangit humi, pars retia tendit,*
*Pars ſpargit laqueos, pars latus vrget equo.*
*Pars ad tela micat, canis hinc, canis inde, laceſſit*
*Pro cane quàm ſæuam mors agit aſpra feram!*

## Ceruus.

*Ille ego qui lunæ cornuta fugacis imago,*
*Quiq; refingo nouum cornua adunca decus.*
*Cur non ſorte pari fata æmulor inclyta lunæ,*
*Et quos temnit humi, ſic ego temno canes?*

## Serpens.

*Me iuuenes odere, ſenes odere, puellæ*
*Calce terunt, tellus, amnis & vnda fugit.*
*Et ſerpens mundo exitium? nonne æmulor orbem?*
*O fatui! archetypum perdet imago ſuum?*
Serpens in Hieroglyphicis mundi imago.

## Homo de Serpente.

*Stellat humi ſerpens maculis diſtinctus & auro,*
*Mollis vt hibernas depulit aura niues.*
*Vah probra! æternat alterna dona iuuentæ,*
*Cuius ab inuidia mater aborſa necem!*

## Scarabæus.

*Non ego prædo nocens, ſed terræ filius inſons.*
*Et niſi Siſyphio voluo ſub orbe globum.*
*Cur non ſidereos rex flecto bicorniger orbes?*
*Ardua qui lunæ cornua & aſtra gero?*

## Aranea.

*Texo vigil longam fragili de ſtamine telam,*
*Aucupor & volucres ad mea fila dapes.*
*Altera deinde cauis euiſcero retia fibris.*
*Idq; meum in letum. num labor iſte furor?*

## Aliud.

*Ars mihi vita, meum labor ærumnabilis æuum,*
*Ars ſed dira; meum viuere nendo mori eſt.*
*Nonne ego quæ telam tam longi extexo laboris,*
*Debueram ingentes illaqueare feras?*

## Cicada.

*Dulcè canens flauâ ſudantem in meſſe colonum*
*Solor ego ad falces, ruſtice coge chorum.*
*Et duce me ſalta, pretium iam poſco choraulæ,*
*Cur ego inops hiemo, dum ſoror atra molit?*

## Cicada ad puerum.

*Parce, ô belle puer viridem cruciare choragum.*
*Non ego, vt atra ſoror, far lego, rore bibo.*
*Credis apem? mel ore legam, an melos ambigo? certè*
*Hoc ſcio, dulce meo mel ego ſtillo melo.*

## Formica.

*Aurea mica vocor, fuluo non diſcolor oſtro*
*Viua micat antris aurifodina meis.*
*Et populo auratis quæ dito noualia caſtris?*
*Cur ego tam diues, paupero vt hoſtis agros?*

## Africa.

*Dipſas arenoſa Libyæ grauis hoſpes eremo,*
*Flammat inextinctâ vulnera inuſta face;*
*Nonne ſat hic Phaëton ſiccas exuſſit arenas?*
*Terra Libyſſa nouum cur Phaëtonta parit?*

## Ægyptus.

*Mars bello grauis vrit agros, ſol vrit arenas.*
*Meq; meo euerrit puluere victor Arabs.*
*Mille cadunt oculis nubeſq; imbreſq; doloris.*
*Et quiſquam Ægyptum nubila ferre neget?*

In Ægypto non pluit.

Flan-

## Flandria ad Famam.

*Nunc mare non æquum Belgi modò Flandria ſumen*
*Terra potans a:mis, vbere diues agro.*
*Quid fuerim?;ah miſerâ!nunc poſtera fama ſepulcro*
*Diſce meo; toto funeror Oceano,*
Maris eluuies magnam partem obruit.

## Nilus ad Alexandriam.

*Gemmeus hic Ganges influxit, & aurifer Indus,*
*Cum Rheno huc ſociis appulit Iſter aquis.*
*Sic olim. eluſit Pharon aureus æſtus. arenæ*
*Nunc ſteriles, Nilus qui mare fudit opum.*

## Ad Rhenum.

*Rhene pater vitreo iuga conſite vitea Baccho,*
*Conſite vitifero litore Rhene pater,*
*Quo ruis? Oceanum vada ſalſa bicorniger hoſpes*
*Si bibis; amittet ebria Nympha caput.*

## Homo.

*Ver breue veris opes, reparat ſua cornua Phœbe,*
*Alternatq; nouis Sol ſua ſæcla rotis.*
*Vſque alio ac alio mundus reparabilis ortu*
*Si redit: æternùm cur Microcoſmus abit.*

## Idem.

*Diſcolor omnigenis vultum induo, & exuo formis,*
*Ardua lux cælo, vel cinis ater humi,*
*Quò mihi tot vultus. ac alter mutor in horas?*
*Sum nihil infelix; omnia vt eſſe queam?*

## Animus.

*Hic vbi conuexo curuat ſe pondere cœlum,*
*Sideream æternat viuida flamma facem.*

*O iubar infelix! vbi mens ſic merſa cerebro?*
*Voluitur informi lucida ſtella luto.*

In capite intellectus pars potior.

## Puer.

*Flauentem Cererem vix tertia coxerat æſtas,*
*Ah puerum leti cruda deuſſit hiems.*
*Qui nondum lucem, vitaleſq; hauſerat auras,*
*Cur leti ad noctem iam potis vmbra mori?*

## Puer agnatus peccato.

*Immulget teneris mors vbera ſurna labellis,*
*Vt niueo occœpi ſugere fonte dapes.*
*Et caput admordet breuibus torquata chelydris,*
*Id naſci puero? num ſine morte mori?*

## Naſcens.

*Naſcendi it mora ſpiſſa. nouem quam texere Lunæ*
*Vix potuit, vitam deripit vna dies.*
*Si mihi tam lentus primo de ſtamine textus,*
*Cur non & lenta forcipe Parca metit?*

## Somnians ad ſomnum.

*Mordaces animo curas rorante flabello*
*Excutis os ſpargens nube papauerea.*
*Quid iuuat? incurſat oculos diro agmine Morpheus,*
*Cura mihi pernox orba quiete quies.*

## Cerebri medulla.

*Tam pia quæ Sophiæ puro lacte vbere alumnos,*
*Cen rea cur iugi naufraga mergor aqua?*

## Natura ad cerebrum.

*Solatur miſeram, molli pia mater amictu.*
*Sed fruſtra, in gelido friget iniqua peplo.*
*Non hæc cura ſatis. iam veſtit & altera mater.*
*Hic amor an pietas impia? dura riget.*

In

## In ſomno vita & mors.

*Ne leti triſte archetypum ſim larua ſepulcri,*
*Somne veni, vitam mortis imago parit.*
*Vſqueadeon' mirum portentum eſt viuere, vt ipſum*
*Archetypum vitæ ſola det vmbra necis?*

## Mors.

*Sim licet exos, iners, exheres lucis & exors*
*Larua mali; quo non ſaucior icta probro?*
*Quod ſcelus hic mors nonne parit pia pabula, caſſis*
*Terrigenæ vt viuant viua ſepulcra feris?*

## Aliud.

*O quis non onerat falcem, & mea ſpicula probris.*
*Et quis non diras in mea tela vomit?*
*Haud equidem merui, leto quis dulcior hoſpes?*
*Nonne meum ad ferrum de nece nata ſalus?*

## Vidua.

*Quàm nihil, ah thalamo fidum! quàm nemo periclo.*
*Eximius nupto mors ſedet atra ſinu.*
*Credideram ire meo viuacia ſæcula fuſo;*
*Funus habet. cornix improba vultur erat.*

## Chiragricus.

*Quid mihi calx tecum? vin' ſit calcaria corpus?*
*Ad tumulum an fabræ moliar artis opus?*
*Nil mihi cum fabris. ah! calx quæ fida labori*
*Saxa liget, vitæ vincula & oſſa ſecat.*

## Lampas.

*Viuere vt occœpi, flauos procus igneus artus*
*Exedit, in leti pabula corpus abit.*
*Aurea (triſte nefas) auidum in ſcelus vbera vertit.*
*Prædo mei vt viuat, me iubet vſque mori.*

## Vrbs.

*Quà breuis hora volat cæco quatit ariete turres,*
*Inſultatq́; auidis ardua tecta rotis.*
*Quid iuuat armatâ muros vincire coronâ:*
*Si ruat hæc, ſurdo qui fugit hoſtis equo.*

## Campana.

*Vah quoties duro perdit me lingua flagello!*
*Et querulum quoties frangit iniqua caput.*
*Nec ſatis id, traho longa graui ſuſpendia nodo.*
*Flebile tam fidus cur luo præco ſcelus?*

## Nauis.

*Exſecror errantes mundi per deuia ſyluas,*
*Quæque rates rabidis allatrat vnda fretis;*
*Nonne mari diſcors mare, & arietat Auſter in Euros?*
*Et velis parcet ventus & vnda meis?*

## Vitulus cæſus ad aram.

*Cui tenero in cornu vix germina prima iuuentæ,*
*Vix rudis inuiſam bucula tinxit humum.*
*Ingemuit moriens, cur maior vt hoſtia ad aras*
*Mugiat, è vitulo non ſinis eſſe bouem?*

## Mater plorat.

*Vix gremio erepſit, ſiccam puer incidit vrnam*
*Neſcius, in caſum ſors maleſida rapit.*
*Quid loquar? accuſem crudelia numina Parcas,*
*Tam citò quæ vitæ germina acerba metunt.*

## Solatur virtus.

*Mitte graues queſtus, quo debuit, occidit æuo*
*Nonne ſapit ſerum cana iuuenta ſenem?*
*Ingenio Sophiam, meritis præteruolat annos,*
*Maturus cecidit, flos cui fructus erat.*

Con-

Conſolatio.

*Sæuior immites in te ſors aſperat iras?*
*Quod dedit, hamato diripit vngue decus.*
*Nil tulit illa tuum. non æquis parce querelis.*
*Si gemis illa rapi, iam tua rapta facis.*

Plutus.

*Mêne pati? ætheriis ſcelus omne licentius oris*
*Errat; & ignota Pluto ſepultus humo?*
*Ille ego Sol terræ, (cælo quis dignior hoſpes?)*
*Nonne tuum ô Danaë poſſidet arca Iouem.*

---

# ÆNIGMATA.

Cryſtallus.

*ME Boreæ penna aſpra parit. de rupe pependi*
*Aëria. hinc * damno diuite duco decus.*
*Et teror. abſque ſtilo pingo, nec pingo colores*
*Mille traho & lympham nuda vel irin ago.*

* Informis ante maſſa expolitur.

Bulla in Concha.

*Curta vehit me cymba * cauis quam Doris in vndis*
*Ante tulit, bifida cui rate candet ebur.*
*Æolus appulerit, it vitreus orbis in auras.*
*Hic Microcoſme tuæ gemmea imago fugæ.*

* Concha.

Horologium è Magnete.

*Cryſtallo è gelidâ reuolubili in agmine magnum*
*Vſque ſequens oculum totus 1 ocellus ago.*
*Intus agit, vibratq́; è viuo lingua metallo*
*Apta loqui eſt? cælo quod 2 fugit, vſque legit.*

1 Sol. 2 Tempus.

Pixis

## Pyxis nautica.

*Penè minor folio volucrem per lubrica ſyluam*
*Arte rego, furuum dum vehit 1 ala nemus.*
*Dux 2 oculus cyano in vitro qui fuſilis auro*
*Statq; fugitq; 3 ſolo ſtans fugiente ſequor.*
1 Velum. 2 Vrſa in cœlo. 3 Mare.

## Penna.

*Me terni vt fratres nodo vinxere trilici;*
*Et bibo & atrato candida nubo proco.*
*Pota nigro volito in ſulco, vel ſerpo niuali*
*Æquore, facundo quo pede muta loquar.*

## Campana.

*Mugitum audieris, magnus qui territat vrbes,*
*Bos vbi ſit quæris? fallere, nullus erat.*
*Nec bouis vmbra. tuas quæ ſic demugio ad aures,*
*Os ſum tota, flagro quam ſua lingua quatit.*

## Cereus.

*Picta thoro vt viridi libauit pabula 1 mater*
*Ebria & vda, fabro conſtruit ore 2 domum.*
*Deinde 3 columna domi ſtruitur, cui ſideris inſtar*
*Stellat apex, vt ſe diruat 4 vltro rogo.*
1 Apis. 2. Aluear. 3 Candela. 4 ſe perdit lucendo.

## Pila ventoſa.

*Plenum & inane caput ceu Luna rotundo, fugaci*
*Erro globo, frater ſi modò quinus adeſt.*
*Spiritus intus agit, agit hoſtis & atterit ictu.*
*Icta volo, cædo, ſaltito, ludo, queror.*

## Alea eburna.

*Dens ego dente carens, aſpros cui dentit in arcus*
*Omne latus, pura de niue candet honos.*

*Imò*

*Imò probrum hic oculi, ſed caſſi luminis orbes*
*Sæpè iuuant, cæcâ ſæpius arte nocent.*

## Cithara.

*Mors mihi de ferro, & ferro pes ſaucius hæret*
*In laqueo. circum viſcera nuda tremunt.*
*Os in ventre canit. ceu Pythia nulla reflecto*
*Brachia; adopto tamen brachia, adopto manum.*

---

# GRYPHI.

## Mors.

*Filia ſum Martis me ſi vis gignere ferro.*
*Sin verti os malis. 1 Marſpiter arma geram.*
*Mille caput numerat galeas, capita excute mille,*
*Qui belli antè parens, 2 filia pacis ero.*
1 Mars. 2 Ars.

## Literæ in nomine mors.

M *Grande caput trifido pede currit et occupat hoſtẽ.*
O *Anulus os ſignat, qua rapit, vſque tenet.*
R *Cor canis aſper habet. rabido fera ringitur œſtro.*
S *Cauda minax ſerpens. hic caput ille feræ eſt,*
Serpens mortis auctor.

## Roſa.

*Veris alumna, rubens puri ſum filia roris.*
*Deme pedem, & fiet filia trunca 1 parens.*
*Mille mihi da corda, 2 caput mundi ibo. bilancẽ*
*Cor 3 cruce ſi mutes; iam rota præpes eo.*
1 Ros. 2 Roma. 3 T.

## Sal.

*Me parit ignis æquis, parit ignibus. vnda biformem*
*Duc caudam, & magnum magnus adopto 1 Patrẽ*
*Verte apicem. pater 2 alter ero, vetus orbis ocellus.*
*Da femur anguineo cum pede, viso ſalus.*

1 Salum. 2 Sol.

## Sera.

*Si caput 1 hic ſerpens, draco ceu vigil accubo Pluto.*
*Duc caput in Lunæ cornua 2 ſigno fidem.*
*Si canis accudas dentem; cuncta appeto 3 morſu.*
*Da pro dente pilum. lactea 4 pocla bibam.*

1 S 2 Cera. 3 Serra. 4 Seria vas lactis.

## Amor.

*Nunc ego dulcedo. 1 lato cor diuide hiatu*
*Adde canis 2 dentem: totus Amaror ero.*
*Verte. repens Mora & Arma fluẽt dulci vbere Protei.*
*Sin caput in caudam vertero, ſtabo 3 caput.*

1 a hians litera. 2 R 3 Roma.

## Spes.

*Parue bibiſſe meum vin nomen ? poſce trientem.*
*Si caput in caudam verteris anguis ero.*
*Tolle caput, pes totus eo. pedis exime talum.*
*Et caput adde nouum, tinniet ære ſinus.*

## Cor.

*Mi caua 1 Luna caput ſol pectus. cauda caninum*
*Ringitur ad dentem. grande quid eſſe putes.*
*Vix oculo attigeris, pars quæſo hæc quantula dices,*
*Pulueris exigui, qui tamen aſtra capit.*

[redacted]

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA
BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA